



I  
219

~~D. 1120.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

I C. 219.

SIGNAT. CLISCCCXIII.





©. VALENTINI ERNESTI  
LOESCHERI

ARCHI-THEOLOGI EVANGELICI

THEOLOGIA  
PRETIOSA

VARIIS CVM ILLVSTRAMENTIS  
DEO EX MSC. IN LVCEM  
EDITA

VT NON TANTVM STVDIIS  
PRIVATIS VERVM ET PRAELE-  
CTIONIBVS AC DISPVATIONIBVS  
INSERVIRET ACADEMICIS.

---

*e* OPVSCVLVM RARISSIMVM.

---

HAMBVRGI ET LVBECAE  
MDCCL.

*Ad 189*





## Lectori Benevolo,

Salutem in Christo Jesu, &  
optima quæque!

**Q**uicquid *incolæ filivæ hujus mundi,* de *habitu vestium* cum antiquiore, tum recentiore statuunt atque censent, illud etiam usu venire & obtingere solet *libris* publice editis, cujuscunque sint conditionis vel generis. Quæriescunque enim *nova* & ad morem seculi aptata consutaque *vestimenta*, in communi vita, & hominum consuetudine, conspiciuntur; toties *non pauci mortalium novitatis* per quam *avidis*, ista imitari student, vel *novum* in *illum modum* se ornare solent. *Vestes* autem paulo *obsoleriores* & *vulgares* floccipenduntur ac spernuntur, etiamsi vel artificiosæ concinnatæ, vel auro illitæ sint, & splendescant. Eandem ferme sortem & fortunam, *libri impressi* plerumque habent. *Antiquiores vilescunt; recentiores afficiunt.* *Grata semper novitas.* Placent cuique no-

*væ vestes*, nec displicent *novi libelli*, utpote  
 quibus se sæpius delectare incipiunt, non  
 solum *Autores*, sed etiam *Lectores*. Hunc  
 habitum induunt, hunc morem assumunt,  
 quotquot ad seculi modum incedunt. Ve-  
 rum enim vero, quamvis *externa species*,  
*distinctusque habitus vestium ac librorum* sua  
 se novitate, omni tempore commendet;  
 iustus tamen rerum æstimator, de *vestibus*  
*librisque*, non aliter judicat, quam *illorum*  
*forma atque æstimium, taxatio, & pretium*  
 requirit. Nam *qualibet res ex dignitate &*  
*præstantia sua dijudicanda est*; suum cuique,  
 quod meretur, pretium statuendum. Qui  
 nil nisi noviter excogitata amant, & quos  
 sola aviditas expectatioque novitatis tenet,  
 quam minus audiendi sunt, ac factores, *ve-*  
*stes pretiosas ac splendidas*, novum solum-  
 modo ob modum, recens inventum, vel in-  
 troduçtum, commutaturi. Sicut enim sua  
 quemque voluntas trahit; ita etiam cui-  
 bet placet, vel displicet, quæ suum ad pala-  
 tum usumque factura, cæteris neglectis ac  
 spreis, vel existimat, vel non autumat.  
 Dolendum vero est haud leviter, quod ea-  
 dem *de libris, res sacras divinasque concer-*  
*nentibus*, obveniant, quæ *aliis eruditionis*



ac scientiæ variæ fætibus, una cum vestibus, accidere assolent. Quanquam enim Theologia, in se spectata, una saltem forma, ex Dei verbo, hausta constet, & absolvatur; multis tamen illa non placet, nisi *novo sub habitu, recentiorique methodo*. Hinc de *mutatione & methodi & Theologiæ ipsius*, sollicitos videas bene multos, quibus nova docendi ratio arrideat. Nobis vero, quum *pictæ vestes variatæque figuris imagines* librorum theologorum sæpe non placeant, facere non possumus cum illis, quorum interest, *de varianda methodo & Theologia* perpetuo cogitare. Nolumus quidem inficias ire, *quod novæ methodi habitus, doctrinam per se simpliciter non mutet*. Sæpius vero nova proponendi docendique ratio Theologiæ puriori officit palam, & nocet, vel salutem istam, intellectu difficilem reddit, varieque confundit, uti ex *methodo scientifica* aperte patet. Ex quo enim ista *rationi Theologiam dogmaticam proponendi* inserta sunt & adhibita, & *mutationes argumentorum theologorum, & novas subinde opiniones, veritati minime respondentes Theologiæ aptatas* novimus. Nihil autem magis mirandum, quam quod *quidam ex illis* quo-

a 2

que

que Theologis, qui fidem cætui orthodoxo addixerunt, partim *ista nova methodo, ac docendi ratione*, sibi ipsis placeant, partim quoque *Theologiæ ipsius faciem*, vario modo, de sede sua, deturbent atque moveant. Nonnulli enim a *Morali Theologia*, secernendam statuunt *dogmaticam*, quibusdam contra, *dogmata, ad praxin & ad mores simul referentibus*. Alii vero *Theologiam rhetoricam*, sine *intermixtis controversiis*, nude tradendam suadent, quamvis dentur, qui *Thetico-Polemica*, non sine causis, proposuerint. Porro etiam tales inveniuntur doctores in *Academiis docentes*, qui non tantum *præcognita*, ab ipso *Theologiæ corpore & Systemate*, separent, separatimque inculcanda suadeant; verum & *doctrinam puriorem variis tricis* involvant, atque in nova sua docendi arte id sibi reperisse existiment, non quod pueri in faba. His de causis, hucdum, per aliquot annos, variæ prodierunt *Institutiones & Compendia Theologiæ*, quibus commendandis, ac dilaudandis non una fuit adhibita opera. Nos vero, etsi *nova quæque scripta, Theologiam exponentia*, non penitus improbemus, singulis ad examen revocatis; atque probatis; *antiquos tamen & approba-*



*ros libros, in Theologia præferimus novis;*  
 vel saltem illos Theologorum factus in pri-  
 mis proferendos, & in lucem edendos cen-  
 semus, quos non nisi *dogmata pretiosa* tra-  
 dere est in propatulo. Hos vero inter labo-  
 res plane eximios, orthodoxiæ laude cla-  
 rissimos, atque egregie fructuosos, referen-  
 dam haud negamus *collectionem doctrina-  
 rum & argumentorum præsentem*, quæ Au-  
 ctorem agnoscit VALENTINVM ER-  
 NESTVM LOESCHERV. Docto-  
 rem & Archi-Theologum Evangelicum, ma-  
 gnis multisque, in Ecclesiam Apostolicam, me-  
 ritis immortalē, virumque, quem Dn. Jo.  
 Guilielmus Bergerus, Polyhistor & Præce-  
 ptor meus olim Magnificus vocat, *divini  
 spiritus, omnique elogiorum vel specie, vel  
 ambitione superiorem.* Ab hujus ore quon-  
 dam pependi; illius patrociniō plane pater-  
 no, a multis retro annis, gavifus sum. I-  
 stius excellenter elaboratos, planeque in-  
 comparabiles libros magno semper in pre-  
 tio habui. Et quum mihi quoque, præter  
 spem, datum fuerit, *quædam insuper Ma-  
 nuscripta Ejusdem*, per unum alterumque  
 amicum, nancisci, ideo sane in sinu gau-  
 deo, variaque commoda inde expecto. Ut

vero mihi non solum consulam, sed aliis quoque inserviam, *banc farraginem utilissimam* docentibus, pariter atque discentibus, ex illis, de industria collegi, publicique juris facere decrevi. Nec spes me dubitare finit, futurum, ut multis, in *Ecclesia nostra orthodoxa*, viris ac studiosis placeat seque commendet. Siquidem in ista, *orthodoxia & τρόπος παιδείας summe necessarius*, quam accuratissime velut *sepes doctrinae caelestis* observatus est; Adductis ubique cautelis & observationibus plusquam exquisitissimis, & cuique egregie inservientibus. Sumptibus ideo non peperi, nec aurum inhiavi, ex impressis exemplis expectandum, finem quippe alium non habens, quam *veritates Evangelicas notatuque dignissimas*, magis magisque *bono Ecclesiae, & in honorem imprimis Dei*, promovere. Hunc si apud unum alterumve, obtinere potero, multum me ~~liberum~~ fatebor. De cætero vellem per quam vehementer, ut **LOESCHERVS** hic **MAGNVS**, caelites inter triumphans, ubi adhuc nobiscum in terris conversabatur, *Pandecta sua Theologica*, (quorum unicum atque primum, saltem folium est impressum,) integra edere,

*transmissibile*



re, penitusque absolvere potuisset, sicut apud animum constituerat; Hoc vero, quum præstare nequiverit, Deum precor, ut *alium* excitet *Theologum orthodoxum*, a cujus opera industriaque, *istum Thesaurum luculentissimum* expectare queamus. *Lector* interim *Benevolus* hunc laborem crebra repetitione usurpare ne desistat, atque ut illo, cum insigni commodo fruatur, isti, *Antilatitudinarium* adjungere, selectis necessariis, ne omittat. Quodsi ante paucos annos editam *commentationem de pondere ac circumstantiis librorum Symbolicorum* simul quoque evolvere velit, (quamvis longe inferiori modo spectandam,) nihil fortassis irritum, aut supervacaneum faciet. Namque ex collatis inter se scriptis Theologiam pure docendam, recte interpretandam, riteque applicandam & defendendam suadentibus, *insignis plane usus* expectari potest. De eo vero, quod in *Theologia* maxime *pretiosum* dicendum, erudimur, mirandum in modum, non solum in *Scriptura sacra*, sed etiam in *scriptis Theologorum*, ad illius ductum, consignatis atque compositis. *Pretiosum*, in genere, dicitur illud, *quod inruitu valoris, dignitatis, præstantiæ, & utilitatis,*

*multo pretio dignum habetur, magnique adeo  
 pretii plenum existit, multum conducit, mul-  
 tisque aliis rebus præferri meretur. Conf.  
 Cl. Matthiæ Martinii Lexicon Philologic. sub  
 hac voce. Hoc itaque titulo, vel honoris  
 & eminentiæ encomio, non tantum articuli  
 fidei puri, imo etiam quodam modo mixti;  
 verum & dogmatum cælestium explicationes  
 & applicationes atque relationes, tractari de-  
 bent. Sicut enim vestibus, gemmis, lapidi-  
 bus, vasis variis, bonis terrenis, balsamis, lin-  
 guis, nominibus, divitiis, margaritis, calceis,  
 laboribus, unguentis, lanæ agris, raptisque  
 & aromaribus, aliisque hujus generis uten-  
 silibus, peculiare distinctumque pretium, in  
 verbo Dei tribuitur; ita etiam applicatione  
 ad res morales & theologicas facta, pretio-  
 sum inprimis, in illo dicitur encomium Dei,  
 cogitatum illius, nomenque honoratum homi-  
 nis probi, imo singulare plane, & eminens  
 pretium, quod magni maximique facien-  
 dum, tribuitur speciatim Christo, ut lapidi  
 angulari, 1. Petr. II, 4. fidei salvificæ, 1. Petr.  
 I, 7. occulto cordis humani, 1. Petr. III, 4.  
 viæ, per abundantiam, doctrinali ac morali,  
 ad pium, mutuumque charitatis studium &  
 religionis experitium ducenti. 1. Cor. XII, 31.  
 Quor-*



Quorsum quoque referendum id, quod *lin-*  
*gua prudens* loquitur. Prov. X, 20. vel *Mi-*  
*nister verbi, ad mentem Dei revelatam cogi-*  
*tar.* Psalm. CXXXIX, 17. His pretiosis  
 multum, imo plurimum tribuendum, cum  
 ob *summam*, quam inde expectamus, *utili-*  
*tatem*, tum ob *relationem ad varia objecta,*  
*variosque actus doctrinae ac pietatis,* quam  
 ipse spiritus sanctus intendit. Quo certius  
 de verbo Dei affirmandum est, quod utile  
 sit a) *ad doctrinam*, b) *ad redargutionem*, c)  
*ad correctionem*, d) *ad disciplinam*, & sic  
 porro 2. Timoth. II, 16. eo studiosius quo-  
 que *διδάσκων*, vel alius, qui *litteris theolo-*  
*gicis* dat operam, animum omni suo di-  
 scendi docendique genere, intendere tene-  
 tur, ad *Theologiam dogmaticam*, cum sancte  
 ex verbo eruendam, illique exacte confor-  
 mandam, tum fidei, pietati, & christianif-  
 mo, ac saluti animi perpetuo applicandam.  
 Negari quidem non potest, quod *articuli*  
*fidei & veritates dogmaticae, varium respe-*  
*ctum* habeant, non solum *ad propositionem*  
*sed etiam ad defensionem purioris Theologiae.*  
 Quid! quod sanæ doctrinae, variis sæpe *pon-*  
*deribus*, in hoc illudve genus Theologiae  
 tradendæ, applicandæ, ac defensitandæ in-  
 fluen-

fluentibus distingui mereantur. Interim vero in hoc maxime elaborandum est docti viro, ut *Theologiam*, nunquam sine pia applicatione discat atque proponat, sed *pretiosum a vili*, rite recteque semper discriminet, partim in theoria, partim in praxi. Namque, quo arctius in *Theologia*, *pretium* & *pretiosum* observatur; eo succulentius ac salutarius quoque *via veritatis* describitur, nunquam sine fructu terenda. Et quum hæc B. LOESCHERI *Theologia pretiosa* ad hunc finem, egregie ac luculenter collimet, nemo non eam inspiciens adducetur eo, ut ejus editionem, a me procuratam magni æstimet, sibi que ad *usus salutaris*, familiarem reddat. Et hoc est, quod optamus, Deo cuncta tributuri, proximo multum, nobis vero nihil. *Servet nos Deus in veritate sua, & gregem Evangelicum tueatur, per & propter Christum.*

Dabam e Museo, d. i. Decembr.

1750.

Con-



## Conspectus opusculi.

B. Autoris Isagoge studii Theologici, p. 3.

- - demonstratio Evangelica, p. 11.

### Theses.

- 1) de Theologia, p. 23.
- 2) de Revelatione, p. 26.
- 3) de Verbo Dei generatim, p. 27.
- 4) de Scriptura Sacra, p. 28.
- 5) de Religione, p. 34.
- 6) de Mysteriis fidei, p. 36.
- 7) de Fundamento articulorum fidei, p. 37.
- 8) de Deo, seu de notitia Dei naturali & revelata, p. 43.
- 9) de Natura & attributis divinis, p. 45.
- 10) de S. S. Trinitate, seu Deo Triuno, p. 48.
- 11) de Actionibus divinis, p. 50.

- 12) de Creatione, p. 51.
- 13) de Angelis, p. 53.
- 14) de Providentia divina, p. 54.
- 15) de Miraculis, p. 55.
- 16) de Vita & morte aeterna, p. 55.
- 17) de Homine, p. 57.
- 18) de Imagine divina, p. 58.
- 19) de Peccato in genere, p. 59.
- 20) de Lapfu generis humani, p. 61.
- 21) de Peccato originis, p. 62.
- 22) de Peccatis actualibus, p. 64.
- 23) de Libero arbitrio, p. 65.
- 24) de Resistentia & statu hominis ante gratiam,  
p. 66.
- 25) de Oeconomia salutis & opere salutis in gene-  
re, p. 68.



- 26) de Gratia universali, & voluntate antecedente, p. 69.
- 27) de Gratia speciali sive de Electione, prædeterminatione & reprobatione, p. 71.
- 28) de Persona & Naturis Christi, p. 73.
- 29) de Unione & communicatione idiomatum, p. 74.
- 30) de Statu Exinanitionis & Exaltationis, p. 75.
- 31) de Officiis Christi, p. 76.
- 32) de Satisfactione, Merito & Redemptione Christi, p. 78.
- 33) de Charismatibus in genere & in specie, p. 80.
- 34) de Conversione, p. 81.
- 35) de Regeneratione, p. 83.
- 36) de Justificatione, p. 84.
- 37) de Unione Mystica, p. 85.
- 38) de Renovatione, p. 87.


- 
- 39) de Mediis & subsidiis nostræ salutis, p. 89.  
 40) de Mediis salutis in specie, nempe de verbo  
 legis & evangelii, p. 90.  
 41) de Sacramentis in genere, p. 91.  
 42) de Baptismo, p. 93.  
 43) de Sacra Cœna, p. 95.  
 44) de Fide, p. 97.  
 45) de Bonis operibus, p. 98.  
 46) de Testamentis utrisque, p. 100.  
 47) de Ministerio Ecclesiastico, p. 101.  
 48) de Ecclesia, p. 103.  
 49) de Morte corporis, p. 105.  
 50) de Consumatione Seculi, p. 106.
- 

Mantissa I. de Papismo, p. 108. seqq.

II. de Genealogia errorum Papistarum,  
 p. 112. seqq.

B. Dn.





B. Dn. D. LOESCHERI

*Ifagoge*

ad studii Theologici legitimam pertractationem pertinens.

*Thesis I.*

*Studium Theologiae amplissimum est, & sequentes continet disciplinas.*

1. Theologiam Catechetica.
2. - - - Theticam.
3. - - - Exegeticam.
4. - - - Polemicam.
5. - - - Moralem.
6. - - - Pastoralem.
7. - - - Homileticam.
8. Prudentiam sacram.
9. Theologiam Consistorialem seu Hierarchicam.
10. - - - Oeconomicam.
11. - - - Paracleticam.
12. - - - Casuisticam.
13. - - - Symbolicam.
14. - - - Patristicam.
15. Historiam sacram s. Ecclesiasticam,

16. Antiquitates sacras.

17. Bibliothecam Theologicam seu notitiam librorum Theologicorum.

*Thesis II.*

Cum igitur tam amplum sit hoc studium, ante omnia, post PIAS PRECES, ex intentione, ad scopum studii Theologici recte institutum, tres disciplinarum istarum classes constituendæ sunt; quarum prima classis continet *disciplinas maxime necessarias*, quibus *nullus Theologiae studiosus carere potest*; quæ sunt:

- a) Theologia Catechetica.
- b) - - Thetica.
- c) - - Exegetica.
- d) - - Homiletica.

Altera classis continet disciplinas, (in secundo gradu) necessarias, quibus illi omnes operam dare debent, qui per aliquot annos incumbere possunt studio theologico, atque ad Ecclesiastica non infimi gradus adspirant, suntque sequentes:

- a) Theologia Moralis.
- b) - - Polemica.
- c) - - Pastoralis.
- d) - - Consistorialis.
- e) - - Symbolica.
- f) Prudentia Sacra.

Tertia classis complectitur disciplinas utiles, quæ ab iis, qui ad officia Academica vel Ecclesiastica majoris dignitatis educantur, merito tractantur,



tur, a reliquis vero prætermitti possunt. Sunt-  
que:

- a) Theologia œconomica.
- b) Historia sacra.
- c) Antiquitates.
- d) Studium Patrum.
- e) Bibliotheca Theologica.

*Thesis III.*

In studio Catechetico (summe necessario) opera præsertim danda est, ut ideas vel conceptus biblicos, facillimos & elegantissimos acquiramus, & in succum atque sanguinem convertamus, deinde etiam exercitiis exegeticis habitum acquiramus.

*Accuratiori catechisatione plus ædificare potest Pastor vel V. D. Minister, quam solis concionibus, quantocunque etiam studio istæ habeantur.*

*Thesis IV.*

Studium Theologiæ Theticæ recte tractabitur, si NB. Ideas & PHRASES BIBLICAS ante omnia accuratius investigemus & distingvamus; deinde Terminos Scholasticos & Ecclesiasticos, ut & receptas distinctiones cum illis conferamus. Porro cujuslibet Thesis & Articuli ideam plenam & accuratam constituamus, spurios vero (articulos) repudiemus, fundamenta omnium dogmatum solidissima eligamus, tandemque cautelas necessarias, dogmatum limites, formulasque periculosas & lapides offensionum annotemus.

Evolvantur libri de formulis caute loquendi.

*Thesis V.*

*Studium Exegeticum* recte tractatur, si primum ea, quæ ad auctoritatem s. litterarum pertinent, colligantur, deinde *regula hermeneutica*, non addiscantur solum, sed, culeis exemptis, in usum convertantur. Posthæc *Phrasologia biblica* (speciatissime & accuratissime) excutitur, *nodi biblici* solvantur, & quantum fieri poterit, ambigua omnia ad certitudinem (firmam) reducantur, qua in re, exercitatio primas tenet.

D. Waltheri sen. *Officina Biblica in Exegesi* multum juvat, item D. Pfeifferi *Hermeneutica Biblica*, Dn. Jo. Christoph. Lehmanni *Theaurus Biblico-Homileticus*, D. Glassius in *Philologia*, M. Starckius in *Notis* aliique.

*Thesis VI.*

*Studium Polemicum seu elencticum* optime tractatur, si primo fontes omnium errorum, tam historici, quam politici in Theologia ostendantur, nec non methodus refutandi, & disputandi cum adversariis, itemque *controversiæ generales*, deinde speciatim Pontificiorum, fallorum fratrum &c. *errores*, qua *statum controversiæ*, *solutiones dubiorum*, & *artificia specialia* declarentur; quin & cujuslibet *Sectæ* (a vera Christi Religione abhorrentis) *Historia*, *Systema*, *præjudicia*, *colores*, & *stragemata* (dijudicentur ac) proponantur. Considerandæ etiam sunt *Controversiæ particulares* inter nostrates, nec non *pondus* cujuslibet *erroris* dijudicandum est.

The-



*Thesis VII.*

*Studium Theologiæ Moralis* optime tractatur, si non solum attendatur ad regulas vitæ & virtutum, atque ad *similia Ascetica*; (erbauliche Dinge) verum etiam ad jus divinum, ad moralitatem ex eo deducendam, ad *recessus animæ nostræ*, ad *momenta & fines actionum humanarum*, ad *incitamenta* (media) & *impedimenta* bonorum & malorum, ad *signa moralia* &c.

*Thesis VIII.*

*Studium Theologiæ Pastoralis* felicissime tractabitur, si primo de virtutibus & defectibus *Ministorum Ecclesiæ*, studiosi Theologiæ informentur, deinceps ad difficiles partes *officii Pastoralis*, v. gr. ad *visitationem ægrotorum*, *tentationem facinorosorum*, ad *absolutionis privatæ legitimam tractationem*, ad *animarum curam specialem*, (& quæ sunt reliqua,) præparentur; tandemque exempla maxime illustria, (casusque notabiles) ex *vitis Theologorum* colligantur.

Conferatur D. Fechtii *Theologia Pastoralis* &c. & ea, quæ *Magdeburgi* in lucem editur.

*Thesis IX.*

Ad *studium Homileticum* pertinet, ut præ cæteris, Studiosi Theologiæ discant, juxta quadruplicem scopum hujus studii, ut accurate, fundamentaliter, ordinate, ornate, pathetice, utiliter & ad ædificationem maxime dicere discant; deinde, ut *Appa-*

ratum Homileticum & Historicum sibi comparent, atque per exercitia homiletica, inchoando a Pro-  
gymnasmatibus facilioribus, ad praxin perducan-  
tur.

*Thesis X.*

In studio prudentiæ sacræ considerandi sunt  
varii Ecclesiæ status, maxime præsentis (& obviæ)  
corruptelæ, & earum remedia sunt proponenda;  
virtutes Theologicæ recte ordinentur, nec non de  
unione diversarum religionum, (tentata,) de Con-  
ciliis & Colloquiis (habitis,) est agendum. Ad  
quam rem imprimis conducit *attenta lectio* (Bi-  
blicorum,) *Historiæ Ecclesiasticæ*, & *Consiliorum  
Theologicorum*.

*Thesis XI.*

*Studium Theologiæ Consistorialis* (vel *liturgiæ*)  
requirit, ut omnes Ecclesiæ ritus, qua originem, qua  
obligationem, & qua legitimam praxin cognoscantur;  
deinde, quæ ad *disciplinam Ecclesiasticam*, &  
*Judicia Ecclesiastica* spectant, positis legitimis, in-  
culcentur; præsertim *Matrimonialia*, (quæ magni  
sunt momenti. Hinc in iis pertractandis cauto  
opus est, quam maxime.)

Commendamus hic D. Brunnemanni *Jus Ec-  
clesiasticum*.

*Thesis XII.*

*Studium Theologiæ æconomicæ* non quidem cu-  
juslibet est, magnam tamen utilitatem habet, præ-  
sertim propter *Coccejanismum* & *Chiliasmum* pas-  
sim



sim propullulantem (rite recteque dijudicandum evitandumque.) Præsertim vero hoc studium in eo consistit, ut *æconomiam divine gubernationis*, ex Historia, collatis prophetiis scriptis, addiscamus; deinde *Danielis Vaticinia*, & *Apocalypsin* per- vestigemus, & contra abusus varios vindicemus.

*Thesis XIII.*

*Studium Theologiæ Paracletiæ* consistit in cognitione *Tentationum*, & remediis contra easdem, suppeditandis.

*Thesis XIV.*

*Studium-Theologiæ Casuisticæ* supponit notitiam Theologiæ Moralis & Pastoralis, atque in eo consistit, ut casus difficillimos, & eorundem (dijudicationes vel) decisiones in promptu habeamus, simulque principia legitima addiscamus, ex quibus noviter enati casus solvi possunt.

*Thesis XV.*

*Studium Symbolicum* postulat, ut nobis non solum, *Historia, origo & fata libr. Symbolicor.* satis nota sint, sed & eorundem *phrasès* receptæ, & cautelæ probe inculcentur; ut & *locæ dubia* & ambigua recte explicentur; denique usus in collatione scriptorum heterodoxorum, cum libr. symbol. tradatur.

Commendamus hac in parte D. Carpzovii *Isagogen*, & D. Rechenbergii *Appendicem* ad libr. *symbol.*

*Thesis XVI.*

*Studium Patristicum* vastissimum est, & vix centesimo cuique aptum; consistit in eo, ut non solum *Historia Patrum*, & *Catalogus librorum* ab iis scriptorum, in promptu habeatur, sed & *idea Theologiae* cujuslibet Patris, *defectus* & *singularia* annotentur.

*Thesis XVII.*

*Studium Historiae sacrae*, Antiquitatum, & Bibliothecae Theologicae ita urgeri debet, ut primo *Apparatum locupletissimum*, ex varia lectione colligamus, deinde *selectum* instituiamus, & praesertim *adjumentis locorum communium* utamur.

Conf. D. Baieri *Introduct.* ad *Theol. Histor.* Arndii & Sviceri *Lexica*, & Pfaffii ac Struvii *Histor. Theolog. litterariae*.

*Thesis XVIII.*

Præ cæteris vero *Lectio Biblica* (tanquam omnium nobilissimum adjumentum studii Theologici) commendanda est, & quidem triplex, nempe *Cursoria*, *Erudita* & *Moralis*, seu *edificans*. Danda etiam est opera, ut *locos communes*, *reales*, *biblicos*, *homileticos* & *historicos* colligamus.

Hæc omnia fusius declarata legere licet in *Celeberr. Dn. D. Jo. Christoph. Kæcheri Conspectu Theologiae universæ*; maxime p. 367. seq.

B. Dn.



B. Dn. D. LOESCHERI

*Demonstratio Evangelica*

Introductionis loco, hic adducta.

§. 1.

*Demonstratio Evangelica* in eo consistit, ut *Articuli fundamentales*, qui *nervum Christianismi* constituunt, ita probentur, ut nulla dubitandi causa superfit, sed unus ex alio necessario fluat, adeoque *Catena fidei* conficiatur, quæ ipsam *fidei Analogiam* in se contineat.

§. 2.

Ad hanc demonstrationem recte conficiendam, præsupponuntur *sequentes veritates* ex sola ratione pura notæ, ad Præparationem Evangelicam pertinentes.

*Articulus fidei* est veritas salutaris revelata, seu pars doctrinæ cælestis, de objecto quodam spirituali, scriptura canonica revelata, cujus notitia ad fidem, & per fidem ad æternam salutem requiritur. Quilibet *Articulus* involvit 1) *particularitatem*, 2) *connexionem* cum toto, & 3) *distinctionem Articuli divini*, ab intima, inter se, cohærentia sive connexionem sic dicti, orti sunt in cælo, agunt de cælo, & ducunt ad cælum. *Articulus fidei purus* est, qui non aliunde, nisi e scriptura sacra, & quidem sola innotescit; *impurus*, qui ex ratione constat. Dantur etiam *mixti*, qui tum ex ratione & materia, tum ex revelatione & scriptura cognoscuntur. *Analogia*

*gia fidei* notat proportionem, consensum, ac harmoniam doctrinæ cœlestis capitumque illorum, quibus absolvitur. Ea non intelligitur vel percipitur viribus mere humanis, vel naturalibus, sed per gratiam prævenientem & illuminantem. Nam pertinet ad τὰ τῆ πνεύματος. 1. Cor. II, 14.

A. Datur Deus.

B. Deus est perfectissimus & optimus in *esse, velle, & operari*. Hinc fluunt omnia Attributa Dei. Formale Dei est παντέλεια, perfectio summa, quæ includit & infinitatem & independentiam.

C. Deus omnium rerum auctor & causa prima est.

D. Deus homini omnia bona, quæ possidet, contulit.

E. Deus itaque honorandus est.

F. Honor & cultus Dei, non ut nos volumus, sed ut Deus vult, h. e. juxta *Revelationem*, & juxta *librum*, qui revelationem veram continet, h. e. secundum *Scripturam S.* instituendus est.

### §. 3.

His suppositis, sequuntur *Veritates revelatæ*, & quidem ordine sequenti:

#### *Articulus I.*

Deus est misericors & clementissimus. Exod. XXXIV, 6. 7.

In antecedentibus agitur de *Revelatione alia gloriosissima Mosi facta*. Verba sunt: *Jehova, Jehova, Deus misericors, gratosus, longanimus.*

In



In consequentibus agitur de *Mosis cultu*, quem Deo, ob hanc Revelationem praestitit.

*Articulus II.*

Tres personae divinae dantur: PATER, FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS. Deus enim erga peccatores clemens esse non posset, nisi iustitiae ipsius satisficeret, per aliquem, qui Deus esset; & peccata, ad Clementiam Dei, adduci non poterant, nisi per aliquem, qui Deus esset. Notetur locus egregius: 1. Joh. V, 7. In antecedentibus agitur de *certitudine Religionis Christianae*, quae nititur testimonio divinarum personarum, verba sunt:

*Quia tres sunt testificantes in caelo &c.*  
 sequentia verba agunt de testimonio alterius termini, in terra.

*Platonici, Scholastici & Cartesiani, Trinitatem ex ratione probare volunt.*

*Articulus III.*

Homo a Deo in sanctitate & perfectione creatus est. Quia enim Deus clementissimus & benignissimus est, non potuit hominem ita creare, ut infelix esset, & Deum perpetuo offenderet.

Genes. I, 27.

In antecedentibus describitur creatio hominis. Verba sunt: *Creavit itaque Deus hominem in imagine sua.* Verba sequentia agunt de felicitate, & statu hominis felici. Quid vero Imago sit, explicatur Ephes. IV, 24.

*Arti-*

*Articulus IV.*

Homo in felici hoc statu non perstitit, sed peccando omnia spiritualia bona amisit.

Rom. V, 12.

Verba antecedentia agunt de reconciliatione nostra cum Deo, per Christum. Verba sunt:

*Per unum hominem peccatum in mundum &c.*

verba sequentia agunt de tristi effectu hujus primi peccati.

Audiamus hic B. *Wernsdorffium*: *Per unum hominem.* Atqui duo homines concurrunt in peccato, & simul peccaverunt. Quid igitur vult Apostolus? Num forsan *Evam* excludit, quia hunc hominem alias expresse vocat *Adamum*? An vero *Adamus* excluditur, quia *Adam*, non seductus fuit, sed *mulier*? 1. *Timoth. II, 14.* Respondemus:

a) h. l. intelligi posse *totum genus humanum.* Ita etiam *Genes. I, 26.* unus homo vocatur, quando Deus dicit: *Faciamus hominem*; & intelligitur *tota species.*

b) Omnino solus *Adam* intelligitur, quia ab *Adamo* omnes descenderunt, ne *Eva* quidem excepta, quæ ex costa ejus formata fuit.

B. *Autoris* discursus & sermo rem illustrans hic erat: *Antithesis Pontificia.*

Homo per lapsum non amisit omnia spiritualia bona, sed multa retinuit. Hinc Pontificii nostras partes deserunt; & ex hoc præjudicio fluunt Pontificiorum subtiliora errata, v. gr.

De



*De libero arbitrio, de impletione legis.*

Alterum eorum præjudicium est: *Papa est Christi vicarius, & non fallit.* Hinc doctrina:

*De Missa. De Purgatorio.*

*Articulus V.*

Omnes meri homines peccatores sunt. Si enim homo felicitatem amisit, necessario infelicem statum peccati assumfit.

Rom. III, 23.

Verba antecedentia ostendunt, omnes homines æquales esse coram Deo. Verba sunt:

*Omnes enim peccaverunt, & destituuntur gloria coram Deo.*

Verba sequentia agunt de Justificatione peccatorum, per meritum Christi &c.

*Articulus VI.*

Homo ita peccato corruptus est, ut ad spiritualia prorsus ineptus sit.

2. Cor. III, 5.

Verba antecedentia agunt de spẽ salutis nostræ, in solo Christo ponenda. Verba sunt:

*Non idonei sumus a nobis ipsis cogitare &c.*

Verba sequentia agunt de gratia Dei, omnia bona spiritualia in nobis operante. Hæc infra repetuntur.

*Articulus VII.*

Deus omnium hominum misertus est; videbat enim, nullum hominem sibi ipsi auxilium ferre posse.

Rom.

Rom. XI, 32.

Verba antecedentia agunt de statu misero peccatorum, ante conversionem. Verba sunt:

*Conclusit Deus omnes in incredulitate, ut &c.*

Verba sequentia ostendunt, admirationem Pauli, ob divinæ misericordiæ divitias.

*Articulus VIII.*

Deus omnium hominum salutem serio vult & promovet.

2. Petr. III, 9.

Verba antecedentia de misericordia & longanimitate Dei agunt. Verba sunt:

*Deus non vult quosdam perire, sed omnes ad penitentiam &c.*

Verba sequentia agunt de iudicio extremo, in quo hæc voluntas Dei omnibus manifesta fiet.

*Articulus IX.*

Filius Dei verus homo factus est, nullum enim aliud medium supererat, hominis salutem promovendi.

Galat. IV, 4. 5.

Verba antecedentia agunt de misero statu peccatorum. Verba sunt:

*Emisit Deus filium factum ex muliere &c.*

Verba sequentia agunt de redemptione nostra per Christum facta.

*Articulus X.*

Divina natura filii, revera & ætissime fuit cum humana natura, unita, ita, ut esset unus Christus; alias



alias non simul verus Deus, & verus homo esse non poterat.

1. Timoth. II, 5. Verba sunt:

*Unus enim Deus, & unus mediator Dei &c.*

Verba sequentia de redemptione nostra per Christum facta agunt.

*Articulus XI.*

Divinae naturae attributa etiam omnia communicata sunt humanae naturae.

Quamvis unio personalis facta est inter duas in Christo naturas, tamen conditio naturarum unitarum non est aequalis. Nam λόγος est persona assumens, sed H. N. saltem assumpta. Illa communicat. Hæc recipit, conf. D. Joh. Gerhardi Isagogen locor. Theologic. seu locos contractos, (aureum plane librum) p. 374. Kein vernünftiger und erleuchteter Theologus wird hier eine reciprocationem communicationis statuiren. vid. D. Nambachs Dogmat. Theologie. p. 937.

Coloss. II, 9.

In verbis antecedentibus Paulus monet, ne a falsa Philosophia nos seduci patiamur. Verba sunt:

*In Christo habitat omnis plenitudo &c.*

Verba sequentia agunt de nostra obedientia, quam Christo debemus.

*Articulus XII.*

Christus pro omnibus hominibus mortuus est; aliter enim (ex Dei voluntate & justitia) omnium hominum salutem promovere non potuisset.

B.

1. Joh.

I. Joh. II, 2.

Verba antecedentia agunt de solatio optimo peccatorum. Verba sunt:

*Christus est propitiatio pro peccatis nostris &c.*

Verba sequentia agunt de nostro debito, erga servatorem.

Sunt, qui dicunt, Christum *pro nullis*, sunt etiam, qui affirmant, eum *pro solis piis & electis* mortuum esse.

*Articulus XIII.*

Christus vere & sufficientissime satisfecit; alias enim ejus mors nulli usui nobis fuisset.

Esa. LIII, 4.

Verba antecedentia & consequentia agunt de statu exinanitionis.

*Articulus XIV.*

Hæc satisfactio Christi, omnibus fide (fiduciali speciali) eam accipientibus (sibi que applicantibus) perspicua est.

Joh. XX, 31.

Antecedentia agunt de actionibus Christi miraculosis. Verba sunt:

*Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Jesus sit Christus &c.*

In sequentibus alia miracula Christi proponuntur.

*Articulus XV.*

*Spiritus sanctus* conatur, omnibus gratiam Dei, morte Christi acquisitam, per fidem (quam ipsis offert) applicare *prædicatione & lectione verbi divini;*



*vini*; hoc est, omnes ad salutem vocat. Alias enim Deus salutem omnium non satis serio promoveret.

Aët. XVII, 30.

Antecedentia agunt de naturali notitia Dei. Verba ipsa sunt:

*Deus præcipit omnibus hominibus ubique, ut penitentiam agant.*

Verba sequentia agunt de iudicio extremo, in quo hæc vocatio manifestabitur.

Articulus XVI.

Illi, qui huic gratiæ non resistunt, convertuntur per solam Dei gratiam; alias enim Spiritus sanctus non omnia faceret; nec homo suæ salutis est auctor, quippe ad spiritualia incapax. Aët. VI, 10.

2. Cor. III, 5.

Verba antecedentia agunt de vera cordis fide, & ejus origine. Verba ipsa sunt:

*Non idonei sumus &c.*

Articulus XVII.

Conversi justificantur gratis per solam fidem; hanc enim solam in conversione acceperunt, & præter illam nullum bonum spirituale possident.

Ephes. II, 8.

Antecedentia agunt de immensa Dei benignitate. Verba sunt:

*Gratia salvati estis per fidem &c.*

Verba sequentia agunt de bonis operibus, & gratitudine erga Deum.

*Articulus XVIII.*

Hæc gratia initio a Spiritu sancto confertur per baptismum, per quem abluimur a peccatis, & regeneramur.

Marc. XVI, 16.

Antecedentia agunt de mandato Christi omnibus Apostolis dato, ut per universum orbem concionentur. Verba ipsa sunt:

*Qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.*

Verba sequentia agunt de miraculis hanc doctrinam confirmantibus.

*Articulus XIX.*

Eadem gratia confirmatur & continuatur per sacram cœnam, in qua verum corpus, & verus sanguis Christi oraliter manducantur, (& percipiuntur.)

I. Cor. XI, 24.

Verba antecedentia continent institutionem Christi. Verba sunt:

*Accipite & comedite, hoc est corpus meum &c.*

Verba sequentia agunt de vero usu sacræ cœnæ.

*Articulus XX.*

Et hæc omnia efficit Spiritus sanctus in Ecclesia, quæ est societas credentium, a Deo instituta, & ad finem mundi duratura.

Ephes. V, 25.

Antecedentia agunt de similitudine inter matrimonium & Ecclesiam. Verba sunt:

*Christus se ipsum tradidit pro illa, sc. Ecclesia.*

Verba



Verba sequentia agunt de sanctitate Ecclesiæ / a Christo orta.

*Articulus XXI.*

Qui in hac gratia Spiritus sancti usque ad finem vitæ permanet, prædestinatus est ad salutem æternam.

Ephes. I, 4. 5.

Verba antecedentia continent gratiarum actionem ob infinitam Dei misericordiam. Verba sunt:

*Qui dives est misericordia propter multum amorem &c.*

In sequentibus agitur de Justificatione.

*Articulus XXII.*

Qui vero huic gratiæ resistunt, usque ad vitæ finem, reprobantur.

Joh. III, 18.

Antecedentia agunt de voluntate Dei omnes salvandi. Verba sunt:

*Qui non credit, jam judicatus est &c.*

In sequentibus agitur de malitia hominum usque ad finem vitæ peccantium.

Homo hic consideratur in statu post mortem, quod probatur ex *non credit.*

*Articulus XXIII.*

Mors Corporis est terminus gratiæ divinæ, qui pios ad Deum, impios ad diabolum (sine spe liberationis) transmittit.

Ebr. IX, 27.

Antecedentia agunt de Christi satisfactione.

B 3

Verba

Verba sunt:

*Positum est hominibus semel mori post hoc vero  
judicium.*

Sequentia agunt de redemptionis Christi fructu,  
quem credentes in iudicio extremo sentient.

*Articulus XXIV.*

In fine mundi omnes homines resurgent; alias  
enim gratiæ divinæ fructum non percipient ple-  
ne, si corpus in perpetuum annihilaretur.

Joh. V, 28.

Antecedentia agunt de iudicio extremo per  
Christum exercendo. Verba ipsa sunt:

*Adveniet hora, in qua omnes Et c.*

Sequentia agunt de potestate Christi a Patre ac-  
cepta.

*Articulus XXV.*

Post resurrectionem prædestinati, in vita æter-  
na, Deum æternum videbunt.

Matth. XXV, 46.

Antecedentia agunt de iudicio extremo. Ver-  
ba sunt:

*Iusti abibunt in vitam æternam.*

*Articulus XXVI.*

Reprobi vero in inferno æternos cruciatus pa-  
tientur.

Matth. XXV, 46.

*Impii abibunt in pœnam æternam.*

His ita demonstratis, in proclivi erit, sine omni  
dubio cognoscere, quænam *Religio*, inter eas, quæ

Christianas se appellant, *verum Christia-*

*nismum* possideat.

The-



Thefes Theologicæ.

Pars I. ejusque.

Locus I.

DE THEOLOGIA.

Th. I.

**N**omen *Theologia* juxta præsentem Ecclesiæ u-  
sum, satis conveniens est, ad significandam  
ipsam Theologiæ rem, nempe *doctrinam* &  
*habitus docentis* in Ecclesia, aptius etiam est vo-  
cabulo *Theosophiæ*, quippe quod abusui magis ob-  
noxium, quam illud.

2. *Genus Theologiæ*, prout illa ordinarie confi-  
deratur, est *habitus acquisitus, eminentis, scilicet gra-  
tiam divinam ejusque operationem* (saltem præpa-  
rantem, & media salutis offerentem) includens, &  
hoc sensu *θεολογος* vocatur: speciatim *habitus  
præcticus*, intellige, qua *praxin directam*, per quam  
*media, & via salutis*, directe ostenduntur; quam-  
vis juxta *debitum morale* in Theologo etiam esse  
debeat *praxis reflexa, & salutaris effectus media-  
rum salutis*.

*Applicatio autem quinque habituum Aristotelico-  
rum* nimis curiosa, inutilis, & inconveniens esse  
videtur. Conf. D. Quenstedii Syst. Pr. I. p. 16. b. &  
D. Weideneri disp. de Quæst. An Theologia sit ha-  
bitus Præct. p. 7.

3. *Habitus Theologiæ* non est ipse *habitus fidei  
salvificæ*, neque poscit aut includit *habitus fidei*,  
necessitate metaphysica, sed *ex præcepto ac debito*,

adeoque moraliter; poscit tamen & includit verus habitus Theologiae, aliqua initia fidei, & bonos motus a Spiritu sancto, per gratiam præparantem, in homine productos.

4. Theologia ἀρχέτυπος accurate loquendo, non quæri debet in essentia divina, & essentiali noticia Dei de seipso, sed in consilio S. S. Trinitatis, de iis rebus, quæ nobis, ad salutem nostram revelandæ erant, habito; ad hoc igitur consilium, quod in scriptura expressum est, Theologia nostra, tanquam ἔκτυπος ad suum ἀρχέτυπον refertur.

5. Accurate loquendo, Deo, Angelis bonis, imo Diabolo & cuilibet Christiano adscribenda quidem est aliqua Θεογνωσία, non vero Theologia, quippe quæ solis docentibus, vel docturis in Ecclesia competit; nam de hujus essentia est, esse donum Dei, & portionem mediorum salutis. Speciatim Theologia diabolorum, vulgo sic dicta, a Theologia Doctoris impii, multis modis discrepat, neque tam nota est nobis Theologiæ diabolicæ natura, ut ex eadem, argumenta sufficientia formare possimus.

6. Potest in impio dari verus habitus theologicus, noticia & assensu constans, non ex viribus nature, sed ex æconomia gratiæ prævenientis & media salutis offerentis.

7. Sensus & experientia rerum divinarum, sunt subsidia, ut Christianismi, ita quoque Theologiæ, non vero principia vel requisita essentialia perpetua; unde non fingendus est canon internus, vel ἀναλογία fidei interna.

Distin.



Distinguendum igitur est *inter subsidia*, quæ *presupponuntur*, & quæ in *curfu operis obveniunt*.

8. *Theologia naturalis* non est mere *theoretica*, sed quatenus in *debita sua forma spectatur*, est *habitus practicus*, cui *competit praxis pædagogica*; interea non est *improbandum*, quod ceteris *paribus*, in *Pneumatica*, de *Deo*, mere *theoretice spectato*, agatur.

9. *Unus est habitus theologicus*, sed *mixtus compositusque*; unde *vitio vertendum nemini est*, si in *studio theologico*, *plures disciplinas*, & *correlatos habitus partiales* statuatur, propter *subsidia habitus theologici plurima*, quæ *separatim tractare*, & *exedre expedit*.

10. *Studium Theologiæ acroamaticæ* non *repu- gnat simplicitati theologicæ*, si in *se*, & *citra abusum spectetur*, & *utrumque*, ex *verbo divino solo hauriatur*; ita *videlicet*, ut *acroamaticæ accuratio* non *petatur ex principio rationis nostræ*, sed *ex scrutatione scripturarum*, etsi *deinceps, termini Philosophici*, propter *receptum τρόπον παιδείας organico usu*, *addi possint & debeant*; qui ad *piscatoriam Theologiam* *provocant*, aut *confundunt circumstantias*, aut *negant*, quæ *negari non possunt*.

11. *Theologia nostra non est philosophice evidens*, nec *deducitur ex principio Philosophico evidente*, ut *Mathesis*, nam *destituitur evidentia objecti*, etsi *habeat evidentiam signorum*, & *hausta sit*

*ex principio claro & perspicuo, seu ex revelatione mysteriorum, signis evidentibus propositorum.*

12. *Theologia nostra tota est mystica, sano sensu, videlicet respectu objecti sui, quia de meris mysteriis agit; sed male a quibusdam fingitur Theologia quedam mystica ratione formæ peculiaris sic dicta, quæ Theologiæ notionali & literali opponatur, & sola, pro vera Theologia, habeatur, quia sine notionibus, ad visionem Dei simplicem, perducere creditur, quam & Theologiam cordis, vel realem appellare solent; si quis vero sub nomine Theologiæ mysticæ, partem aliquam Theologiæ moralis, quæ de interiori animarum statu, & reconditis earum phænomenis, præsertim vero de iis, quæ extra ordinem, in animis eveniunt, agat, proponere velit, vitio hoc illi vertendum non est.*

## Locus II.

### DE REVELATIONE.

#### Th. I.

*Fundamentum fidei, & theologiæ Christianæ proprium atque ultimum, prima est veritas revelans h. e. ipsa Dei veritas quatenus se revelavit generi humano, spectata tum materialiter, qua mysteria rationi inevidentia a solo Deo patefacta; tum formaliter, quatenus in fontibus hebraicis & græcis patefacta est. Quatenus itaque revelatio materialiter spectatur, eatenus illa fruuntur omnes credentes; quatenus autem formaliter considerantur,*  
*ente-*



eatenus soli periti fontium explicite fruuntur proximo revelationis beneficio: ceteri vero implicite.

2. Accurate loquendo, novae revelationes nec dantur, post clausum canonem, nec dari possunt. Dantur tamen μαρτύρια, seu testificationes veritatum jam revelatarum interiores: possunt etiam forsitan dari novae manifestationes circa fata Ecclesiae, quamvis tutissimum sit, etiam a talibus manifestationibus post plantatam Ecclesiam, animum avocare. Quandoquidem experientia docuit, vix unicum a XIV. Seculis contigisse, quod requisita vere manifestationis divinae habuerit, atque cum rerum eventu conspiraverit.

3. Revelatio, per קל - בת est res valde incerta, a qua abstinere in tractatione theologica tutissimum est: per Urim & Thumim vero non sunt factae revelationes proprie dictae, de rebus ad salutem spectantibus, sed saltem patefactiones quaedam.

### Locus III.

#### DE VERBO DEI GENERATIM.

##### Thef. I.

Verbum Dei non potest recte considerari, nisi Spectetur, ut medium salutis, a quo conceptu, mens nunquam abstrahenda est; itaque non est merum signum, aut aliquando mere naturali significandi ratione pollet, ita, ut vis divina, in effectu & fructu, semper illi demum addatur. Cautè igitur de natura verbi generica loquendum est, cum verbum hominum, se non habeat ad verbum divinum

vinum *synonymice*, sed *analogice*, neque rigidum genus detur, sub quo utrumque tanquam species contineri possit.

2. *Verbum Dei externum* & *internum*, accurate loquendo, differunt *mere accidentaliter*, solo tractandi modo; aliquando *Verbum internum* latius accipitur, ita ut *notiones fructus* & *medii salutis* confundantur, a qua acceptione rectius abstinetur. *Verbum externum* omnino proprie est *Dei verbum*, sed suo modo & gradu.

3. *Verbum Dei revelatum* non est aliquid ex Deo, ejusque virtute, effluens, sed est ἀποτελεσμα, seu effectus actionis divinae revelatricis, permanens in signis externis, quibus Deo uti visum est radicatus, ut unio verissima & constantissima detur inter illa signa, & mentem divinam, (non ratione attributi, sed ἀποτελέσματος) cum efficacia divina ostensam & exhibitam.

#### Locus IV.

### DE SCRIPTURA SACRA.

#### Thef. 1.

*Verbum revelationis immediatae*, tempore V. T. editum, nec non *verbum patriarchalis traditionis*, nondum corruptae, qua *materiam salutiferam*, idem est, cum verbo in sacris literis consignato: intermissa autem est illa *consignatio*, quamdiu in primordiis Ecclesiae, eadem Deo necessaria visa non est; Omnium vero minime concedi a Theologis debet, quod post, aliud extiterit verbum, vel alia

mate-



*materia verbi salutifera*, quam illa, quæ in sacris literis consignata est, vel quod per *Cabbalam Iudeorum*, ut singulare aliquod Dei verbum, extra scripturam propagatum sit.

2. Θεοπνευσία *indirecta* non sufficit ad scripturam ponendam & conservandam, in dignitate principii credendi; imo ne quidem Θεοπνευσία, quæ *materialis* dicitur, hoc præstat; sed concedenda est Θεοπνευσία *plena*, tam qua *materiale*, quam qua *formale scripturæ*, salvo tamen *vero* & proprie dicto *scriptorum officio*, quod non solum in ductu *literarum primo*, sed cum primis in *charactere scribendi*, & *stylo*, tam *logice*, quam *rhetorice* & *grammatice spectato*; (qui characteres etiam hodie observantur) conspicitur.

3. *Sensus scripturæ accurate*, proprieque loquendo, non nisi *unus est*, *emphasis autem est copiosissima*, neque negari potest, quod una *sæpe*, & altera *inductio rerum*, in *dictis biblicis representatarum*, in eisdem delitescat, ad quam *voces etiam*, *phrasæque* non raro alludunt.

4. *Demonstratio autoritatis divine*, quæ scripturæ competit, & ex *argumentis rationis humane perspectis* oritur, est *mere pædagogica*, nec gignit *fidem divinam*, sed *humanam*, & *pædagogicam*: non prorsus negandum est, quod *auctoritas scripturæ* ex *ratione demonstrari possit*, *citra formidinem oppositi*; neque ad *solam fidem divinam omnia sunt remittenda*, maxime propter *Paganos*, *aliosque homines*, *testimonium Sp. S. repudiari*.

diantes, & per pedagogiam licitam ad usum mediorum salutis perducendos.

5. Non sola Mosis scripta sunt ἀπόκρισις, sed universæ Sacrae literæ; hoc tamen conceditur, Mosis scripta, primas esse radices & scaturigines scripturæ.

6. Τὸ ἑστὸν scripturæ plenum atque integrum, nunquam est deserendum; quamvis τὸ ἑστὸν imperfectum, & minus plenum sæpe deseri debeat: appellamus autem ἑστὸν perfectum, id ipsum, quod collatis omnibus principiis & subsidiis exegeticis, ex ipsis Sp. S. verbis fluit; imperfectum autem, quod primo aspectu, ante debitam operam exegeticam, impensam, dici videretur.

7. Sufficientia Sacrae Scripturæ non est absoluta, omni sensu, sed relata, & ordinata, involvens videlicet respectum ad œconomiam salutis a Deo traditam, & ad conditionem generis humani atque ad necessitatem proprie sic dictam, id est non fictam: Similiter perfectio canonis non minus in V. quam N. T. sufficiens fuit; nam quoad substantiam fidei, nihil novi in N. T. revelatum est.

8. Veritas scripturæ catholica est, etiam quæ res ad œconomiam salutis de se non pertinentes; quæ thesis interpretanda est, de summa rei, non de τρόπῳ παιδείας.

9. Lectio scripturæ suadenda est omnibus; nam etsi ex auditu fides oriatur, tamen interest hominis christiani, ut ipse quantum ejus fieri potest, accedat ad fontes, & cum primis præmuniatur animum,



num, ut præstet ad casus difficiliores, id est, ad defectus Ministerii essentielles, & tentationes graviores. Ceterum media salutis integra sunt homini christiano, etiamsi in casu necessitatis lectio cesser, illa enim de se spectata habet rationem subsidii, & non constituit ipsum medium salutis, quamvis omnino male agunt, qui lectionem intermittunt.

10. *Scripturæ auctoritas non dependet, nisi a solo Deo, eoque revelante.* Nullo autem sensu vere dependet ab Ecclesia, neque *Ecclesiæ auctoritas* est verum medium, aut ultimum motivum credendi S. S. sed *merum indicium.* Multo minus dependet a *ratione*, vel a *canone*, etiam quodam interno, ex habitu pietatis orto, aut conficito lumine fanatico.

11. *Fontes sacrarum literarum non sunt corrupti;* dantur quidem variæ lectiones & *σφάλματα* quorundam codicum; sed quantus eorum sit numerus (qui tamen exiguus est, si recte computemus) non tamen *corruptionem fontium* evincit, sed hoc saltem indicat, in *dignoscendis fontibus*, & eorum *integritate* caute atque sine præcipitantia esse incedendum, ut falsa, a genuinis discernantur.

Consultissimum autem fuerit in V. T. retinere omni studio *lectionem Synagogicam & Masoreticam;* in N. T. autem *Stephanianam*, ex sufficienti proborum codicum collatione haustam, ita ut *citra necessitatem, & convictionem exquisitissimam*, nihil in illis mutetur, mutatio autem si aliqua necessaria sit, *publica auctoritate fiat*

12. *Scripti-*

12. *Scriptura Sacra*, accurate loquendo, plane non est obscura, ne quidem quoad aliquam sui partem: sunt tamen aliquæ partes *S. S.* difficiles; dantur enim gradus claritatis ac obscuritatis. Nam etsi *mysteria* in sacris literis tradita, non habeant evidentiam insitam, sunt tamen eadem, sufficienti gradu evidentiae extrinsecæ rei, revelata.

13. *Scriptura Sacra* non solum norma est credendorum, & agendorum, atque *Lydius lapis errorum*, verum etiam *judex realis controversiarum theologicarum*, hoc est, in, & per scripturam exercet *Sp. S.* tanquam *supremus judex personalis*, aeternum *judiciarium*, definit, & cum auctoritate pronuntiat, imo & *conscientias* adstringit, atque adigit, quamvis non absolute, sed *ordinate*.

14. *Libri Apocryphi V. T.* nec habent *internum*, nec *externum testimonium Sp. S.* imo ne quidem *sufficiens Ecclesie testimonium*: Inter illos vero *N. T.* libros, qui hodie ad *canonem* referuntur, ne unus vix quidem datur, qui vel profus, vel aliquo modo sit *apocryphus*; etsi enim *ultimi libri* videantur non habere *sufficiens testimonium Ecclesie veteris*; tamen *testimonio Sp. S.* omnes pollent, & difficultates, quibus *Ecclesia vetus* circumsepta fuit, e medio sunt sublatae.

15. Cum *illuminatio* duos habeat *gradus successivos*, quorum prior est, *medii illuminationis*, posterior *fructus salutaris*; statuendum est, ad agnoscendum *verum S. S. sensum*, non requiri *novam illuminationem medii*, sed *ex natura verbi*, tanquam



quam medii salutis, in actione medii plene constituti, sensum illum sequi penes illos, qui primum resistentiæ gradum intermittunt. Interim opus est, nova illuminatione fructus salutaris, ad recipiendas res spirituales, in scriptura oblatas, earumque fructum salutarem hauriendum; neuter vero horum graduum est irresistibilis, quamvis lumen medii (unde prodit illuminatio medii) a Scriptura sit inseparabile.

16. Ultima ratio, ex qua cognoscatur, hunc esse præcise & accurate loquendo, sensum hujus vel istius S. S. dicti, principaliter quidem & primario, est testimonium Sp. S. (quippe ad quod summa & caput rei redit) organice vero & secundo res reducenda est ad significationem nativam, & ordinariam vocabulorum (occurentium in Scriptura) ad antecedentia & consequentia, eorumque nexum logicum, atque ad cetera præcepta exegetica.

17. Scriptura non est merum testimonium de verbo divino, sed accuratissime loquendo, est ipsum verbum Dei revelatum: nam etsi Scriptura vere testetur de mente Dei, & prima veritate revelante eandem; tamen mentem divinam, & veritatem revelantem, in se continet, & vere exhibet.

18. Scripturæ competit vis insita, non magica, non rhetorica, aut logica, sed supernaturalis, seu hyperphysica, quæ resultat ex unione Spiritus Sancti cum verbo, tanquam medio salutis nostræ & non excludit actionem singularem Spiritus Sancti per

*Ministerium; quemadmodum causa principalis, causa ministeriali nihil derogat.*

*Locus V.*

DE RELIGIONE.

Th. I.

*Religio non est merum debitum, jugum, atque obligatio, sed est status felix, ad animam, & constantiam spectans, in quo cum Deo redunimur; adeoque non nititur irresistibili Dei potentia, (quod contra Hobbesium,) sed in revelata Dei gratia: neque religio consistit in mera charitate, aut pietate, sed includit omnino veram rerum divinarum notitiam, neque ad solam voluntatem (quod contra Carthesium) sed cum primis ad intellectum religio spectat; denique religio non solum est res privati cultus, verum etiam publici. Itaque tria ad religionis conceptum plenum pertinent: α. Orthodoxia. β. Orthosophia privata. γ. Orthosophia publica atque hierarchica.*

2. Post lapsum hominis, nulla datur religio vera, sine notitia redemptionis, fidei in redemptorem, & ordinis salutaris, in quo fides datur; itaque religio patriarchalis, non fuit mere naturalis, (contra Arminium,) sed tria ista complexa est, quamvis juxta illam saltem mensuram revelationis, quæ tempore Patriarcharum exiit; *Judæi* vero atque *Pagani* nullo modo participes sunt veræ ac salutaris religionis, nec sufficit, nescio, quæ implicita & vaga notitia atque suspicio de misericordia divi-

na,



na, vel etiam Christo mystico Fanaticorum, qui implice in Paganis operari fingitur.

3. Religio Ecclesiastica, quæ ex omnibus religionibus optima decerpat, res est, partim absurda, partim impossibilis, & cum ordine salutis divinitus monstratæ plane non conveniens: eligenda enim est vera religio, non eligendum ex religionibus diversis, quicquid rationi nostræ probatur.

4. Libertas philosophandi, quæ in questionibus philosophicis (nempe in illis, quæ non sunt prænotiones theologicae,) concedi potest, nec non in meris problematibus theologicis non est extendenda, ad universum religionis negotium, quam viam perditionis Benedictus Spinoza, & Petrus Bailius præiverunt; præstat enim licentiam illam illicitam relegare ex orbe christiano, & inter debitos limitate libertatis cancellos consistere. (Quod hodieque contra Joan. Christ. Edelmannum notandum.)

5. Tolerantia religionum falsarum, nullo modo laudanda est, quod pessimo exemplo fecit Jo. Lockius in Tr. de Tolerantia; sed si per necessitatem politicam, est admittenda, haberi debet pro malo publico. (conf. D. Dannhaweri Hodosophia p. 139.)

6. Professio religionis pertinet ad hominis christiani officia indispensabilia, neque adeo licet religionem, vel veram, vel falsam dissimulare, aut statum confessionis evitare.

## Locus VI.

## DE MYSTERIIS FIDEI.

## Th. I.

Dantur *Mysteria*, sive *enunciationes revelatae*, de rebus divinis, captum humanum superantibus, agentes, & quidem in utraque classe mysteriorum, quarum I. complectitur *mysteria, in totum, sic dicta*, de quibus *ratio nostra*, sibi relicta, nihil intelligit; quæ summa rei est. II. vero, continet *mysteria, in tantum, sic dicta*, de quibus *ratio quædam cognoscit*, ad summam rei spectantia; pleraque autem, & potissima ignorat.

2. Dantur *conceptus mysteriorum*, sed tales, quibus saltem apprehenditur *res mystica revelata*; nequaquam vero comprehenditur; & sufficit, illos *conceptus esse distinctos*, ab aliis conceptibus & contradictioni non obnoxios: etsi non habeant *evidentiam rei*; nam tamen hæc cesset, *evidentia tamen revelationis formalis*, non cessat.

3. Ex *conceptibus veris mysteriorum fidei*, formari possunt *consectaria*, eaque vera & certa, & formidine oppositi carentia, propter *sufficienciam revelationis*: cum autem hæc *sufficiencia*, ad *necessitatem*, non ad *curiositatem* sit data, hinc in *formandis consecrariis* caute procedendum, ut non alia capiamus, quam quæ *necessaria* sint; a *curiosis* autem plane abstineamus.

Locus



Locus VII.

DE FVNDAMENTO ARTICVLRVM  
FIDEI.

Th. I.

Etsi in doctrina, de *fundamento fidei*, & *articulis fundamentalibus*, Theologi nostri, qua *τρόπος παιδείας*, multis modis differant, consentiunt tamen *omnes cordati*, in re ipsa, seu *summa doctrinae*, videlicet: personam, quæ fundamentum nostræ fidei sit, in essendo, esse *Christum mediatorem*, in cognoscendo: *Spiritum Sanctum*, in Scriptura loquentem. *Rem*, quæ fidei nostræ fundamentum sit, esse *meritum Christi*, fide apprehensum: *media*, per quæ illud fundamentum reale, nostrum sit, esse *verbum & Sacramenta*, & *ministerium*; denique *doctrinas*, in quibus fundatur *fidei salvificæ praxis* esse illas, sine quibus *fides justificans* concipi & teneri nequit; speciatim *doctrinas de Christo*, *ejusque merito*, *de fide*, *deque mediis salutis*.

2. Ad *fundamentum fidei dogmaticum*, non solum requiruntur illi *articuli*, qui hic, & nunc, *sufficiunt homini privato*, ad fidem gignendam, & exercendam; sed huc referendi etiam illi, qui *Ecclesiæ* *necessarii* sunt, ad *fidem filiorum suorum alendam*, cum primis ad eandem conservandam in *tentationibus publicis*, *privatisque*; igitur quidam *articuli fidei* sunt *discientium*, vel *auditorum christianorum*; iique dicuntur *primarii*; quidam vero sunt *docentium*, iique dicuntur *secundarii*; quidam sunt *genitivi fidei*, quidam sunt *preservativi*.

3. *Prænotiones Philosophicæ, Philologicæ, Historicæ*, ad Theologiam pertinentes, nec non *theses provisionales*, sive quæ ideo defendendæ sunt, ut *fraudibus Adversariorum* occurratur, referuntur merito ad *fundamentum præservativum*, suntque prænotiones istæ, tanquam per accidens, tales.

4. Non est *sufficiens character articuli fundamentalis*, quod inter omnes cætus, christianum nomen gerentes, extra contradictionem positus sit; quin potius, si *rem ipsam*, & *prædictiones biblicas* consideremus, de multis *articulis necessariis*, & *fundamentalibus* controversiæ gravissimæ exortæ sunt, & exoriri potuerunt.

5. Non consultum est, articulos fidei fundamentales, ad *numerum exiguum* ita reducere, ut si illud, salva re, fieri non possit, *multi articuli* rescindantur, & pro non necessariis habeantur; qualis est ille *Thomæ Hobbesii*, & *Joannis Lockii*: IESVS EST VERVS MESSIAS.

6. NEMO HOMINVM NOVOS FIDEI ARTICVLOS CONDERE POTEST, ne ipsa quidem *Ecclēsia universalis*, sive illud fiat in *questionibus Juris*, sive in *questionibus facti doctrinalis* (quod recens est *inventum curiæ Romanæ*;) non tamen negatur, quod *quidam articuli præservativi*, aliquando per *Ecclēsiam* diligentius commendari & inculcari possint, quod *non est condere novos articulos*, sed pro necessitate præsentis, eorum articulorum, qui antea negligentius tractabantur, *pondus agnoscere*.

7. Ar-



7. *Articuli fundamentales*, alii *primi*, alii *secundi* sunt *ordinis*, item alii *genitivi* sunt, *gignentes* scil. *fidem*; alii *conservativi*, eam *conservantes*, alii *præservativi fidei*, scil. qui eandem *præservant*. Primum considerandi sunt

*Articuli primi*, seu *genitivi fidei*, scil. *qua creditur*. Hi in tres classes distinguuntur, quarum prima continet *actum fidei specialis strictè sic dictum*; secunda, *articulos*, qui proxime gignunt *contritionem*, sed cum respectu *ad ordinem salutis*; tertia continet *articulos*, qui gignunt *actum fidei generaliter*, agnoscuntque *Deum*, qui *præscripsit ordinem salutis*.

*Classis I.*

Hæc ostendit *articulos*, *demonstrantes fundamentum salutis*:

1. *Christus redemit tanquam mediator genus humanum, ut fide per ipsum cum patre reconciliemur.*
2. *Christi meritum fide apprehensum salvat.*
3. *Salvamur mera Dei gratia.*
4. *Fides est opus Sp. S. in illis, qui non malitiose resistunt, vel contra ordinem a Deo præscriptum præfracte se gerunt, hi sunt, qui gignunt fidem, formaliter.*

*Classis II.*

Ostendit *articulos gignentes contritionem*:

1. *Natura nostra gravissime est corrupta.*
2. *Natura, iræ divinæ & damnationi sumus obnoxii.*

C 4

3. Per

3. *Per naturam, salutem nostram procurare non possumus.*

*Classis III.*

Considerat seu continet articulos, qui gignunt actum fidei generalem, sub quo & continetur specialis.

1. *Datur DEVS.*
2. *Hic revelavit se in verbo scripto.*
3. *Verus Deus est PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS.*
4. *Filius Dei, est verus homo.*
5. *Deus vult omnium salutem serio.*
6. *Christus est omnium redemptor.*
7. *Deus ex parte sua, in opere salutis sufficienter operatur, ut omnis culpa in hominem derivoetur.*
8. *Verbum Dei est verum nostrae salutis medium.*
9. *Baptismus & S. Coena sunt vera salutis nostrae media.*
10. *Ministerium a Deo est institutum, ut media salutis dispenset.*
11. *Bona opera sequuntur fidem, & non salvant.*
12. *Datur aeterna salus, & aeterna damnatio.*

(Classis IV. & V. continet secundarios, qui possunt ignorari, non tamen negari, suntque fidei, quae creditur, & ut jam dictum, non ad substantiam, sed peritiam fidei pertinent.)

*Classis IV.*

Continet conservativos, qui sunt nutritivi, & conservativi actus fidei, tam generalis, quam specialis;



*cialis; appellantur etiam articuli exegetici, seu exaggerantes, itemque confessionis.*

1. *Solum verbum revelatum scriptum est principium credendi.*
2. *Deus est omnipraesens, omnipotens, justus, misericors &c. addantur omnia attributa operantia seu operativa.*
3. *Deus creavit, atque conservat omnia.*
4. *PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS, sunt coeterni & ὁμοῦσιοι.*
5. *Filius ab aeterno genitus est, Spiritus Sanctus ab aeterno spiratus.*
6. *Christus veram animam, verumque corpus humanum habet.*
7. *Divina & humana natura Christi, personaliter sunt unite.*
8. *Actiones Christi officiales utrique naturae vere competunt.*
9. *Christus est natus, passus, mortuus &c. pro hominibus.*
10. *Christus habet triplex officium.*
11. *Scriptura est vere Θεόπνευστος.*
12. *Scriptura habet veram efficaciam insitam.*
13. *In sacra Coena verum corpus & sanguis Christi adsunt, & accipiuntur.*
14. *Omnes homines ad salutem vocantur.*
15. *Datur Ecclesia, ad quam, & in qua, vocatio singulariter fit.*
16. *Justificatio nostra consistit in remissione (non-*  

C 5
impu-

- imputatione peccatorum) & meriti Christi imputatione.
17. Media, & effectus salutis, sunt a gratia, non a natura.
  18. Habenti effectus gratiæ divinæ, datur ulterior gratia in renovatione.
  19. Omnes homines in Adamo peccarunt.
  20. Itaque datur peccatum originis.
  21. Liberum arbitrium mortuum est in spiritibus.
  22. Futurum est iudicium extremum.
  23. Mortui resurgent.
  24. Non datur meritum operum bonorum.

Classis V.

Continet articulos præservativos, qui provisionales quoque dicuntur.

1. Deus est infinitus, simplex, immutabilis &c. addantur cetera attributa non operativa.
2. Nomen  $\text{הוה}$  est incommunicabile.
3. Non datur Deus factus (nec verus Deus ex se ipso est procreatus.)
4. Nemo præter Deum est adorandus, (seu in precibus invocandus.)
5. Datur in Christo communicatio naturarum, & idiomatum.
6. Caro Christi est omnipræsens.
7. Decretum Electionis, non est absolutum, sed factum est intuitu fidei.
8. Indigni in Sacra Cæna accipiunt verum corpus Christi.



9. *Pædo-Baptismus conformis est institutioni Christi.*

10. *Bona opera non sunt necessaria ad salutem, (acquirendam vel demerendam.)*

NB. *Sunt autem necessaria salvandis, & ad salutem fidei adjudicatam, non amittendam.*

Locus VIII.

DE DEO.

Caput I.

DE NOTITIA DEI NATVRALI,  
ET REVELATA.

Th. I.

*Notitia Dei naturalis insita, plura sub se continet, quæ particulatim enumeranda sunt, ut plene, & sufficienter, de istis agatur; huc itaque spectat*

α. *Notio Dei simplex, per se cognita, & ad eum modum se habens, quo notiones primæ, & irresolubiles, v.g. notio essentiæ, totius, partis &c. in mente humana dantur; sed hæc notio Dei non confundenda, cum idea Dei Cartesianæ, quæ plura infert, & admixta quedam habet, quæ non approbamus.*

β. *Inclinatio, & propensio naturalis, ad conclusiones, de existentia, attributis &c. Dei formandis.*

γ. *Indoles animi humani, a supremo conditore, ipsi impressa, vi ejus ita formatus est, ut nativam relationem habeat, ad omnes propositiones, quibus notitia insita constat, & quasi signatus est*  
istius

istius notitiæ sigillo; & h. e. quod vulgo appellamus *habitum instrum & comatum*.

2. *Ipsæ propositiones*: DATVR DEVS, DEVS EST COLENDVS, sunt *per se notæ*, & homini naturaliter se habenti, atque contra naturam succurrunt.

3. *Argumenta notitiæ acquisitæ* non sunt nimis difficilia & intricata, quamvis quædam sint *operosa*.

3. *Notitia naturalis utraque*, de se spectata, & sine omni *Pedagogia Spiritus Sancti*, non solum non sufficit, ad salutem, sed ne quidem ad *pedagogiam hominis*, sive *manuductionem ad mediâ salutis*; eadem notitia etiam, cum *pedagogia Spiritus Sancti* spectata, non sufficit ad salutem.

4. Cum autem Theologis jam notum sit, nomen יהוה soli Deo proprium esse; tutissimum erit, si affirmetur, etiam *reliqua nomina biblica*, tam *hebraica*, quam *græca*, directe, & sine adjecto caractere alienante, nemini præterquam *vero Deo* in sacris literis attribui; quæcunque enim in contrarium afferuntur *exempla*, ea quidem omnia, si *nervum intendas*, ita explicari possunt, debentque, ut *res istæ*, quibus v. c. nomen יהוה (& cetera) videntur attribui, dicantur quidem *singulariter ad Deum pertinere* (sic *Magistratus* dicitur esse *Dei*) non autem nomen Dei ipsum de illis rebus prædicetur. (Aliter sentit D. Kromayer in Theologia. D. Rambach in Theologia, & M. Binchius in Mellificio.

5. Cum



5. Cum per omnem *Criticorum* hactenus adhibitam industriam, nulla hactenus *sufficiens ratio* proferri potuerit, cur nomen אלהים plurale Deo tribuatur; Deus autem, cum primis in verbo revelato nihil frustra dicat, facitve; hinc colligimus: *personarum divinarum pluralitatem*, seu per illud, *ipsum Deum trinum* signari. Conf. D. Joan. Cocceji Lex. Hebr. opera D. Maji p. m. 36. D. Quenstedtii Syst. P. I. p. 277. sqq. D. Hülsemani Brev. p. 122. aliosque.

6. Quod si ulla in re, sane in *contemplatione Dei*, caute & regulariter incedendum. Juvabit igitur observasse sequentes regulas:

1. Colligendus est *apparatus sufficiens ad notitiam essentiae & attributorum divinarum*, partim *ex natura*, partim *ex Scriptura*; & quod ad naturam attinet, non ex sola *Metaphysica*, *Pneumatica*, sed *ex Physica*, *Ethica*, & *Historia*.
2. Hic cum primis diligentissime cavendus est *Absolutissimus*, ne v. g. *attributum aliquod divinum absolute capiamus*, & ceteris opponamus.
3. *Meri conceptus philosophici*, de *attributis & operibus divinis*, evitentur; sunt enim *inadequati*, & plus, minusque continent, quam continere debent.

## Caput II.

### DE NATURA ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

#### Th. I.

*DEVS nequaquam definitur potest, definitione ad*

ad rigorem *legum Aristotelicarum* confecta (quandoquidem hic rigor ad multas etiam res creatas non quadrat) potest tamen *sufficienter*, & cum debita *accuratione* describi. Et *conceptus* quidem *communes Entis* atque *Spiritus* (qui in ista descriptione adhibentur) Deo conveniunt *in eminentia*; *Conceptus* autem *proprius*, jure meritoque non nimis arcte est adstringendus, sed potius componitur ex *notione intrinseca* & *extrinseca*; *Notionem intrinsecam* constituit *perfectio plenissima*, ad *extrinsecam* vero pertinet: quod *Deus sit autor naturæ*, & *supremus omnium rerum Rector*, (sensu etiam *morali*,) *sine omni exceptione perfectissimus*.

2. *Attributa Dei*, nullo modo dici possunt *accidentia*, sed sunt *ipsa essentia Dei particulariter spectata*, sine ulla *Dei divisione*; differunt autem *objectis*, & *effectibus*, & sunt *ἀνάλογα* modorum striete dictorum.

3. *Ne Deus cum mundo confundatur*, quod his præsertim temporibus fit; rejicienda sunt omnia, quæ de *mundo interiori*, *luminoso*, *ideali*, *archetypo*, nec non de *emanatione mundi*, ex *Deo*, *Fanatici* credunt; proxima enim hæc, & tutissima via est ad *Deismum*.

4. *Quamvis in verbo revelato*, multa de *Deo* prædicentur *improprie*, & per *meram assimilationem*, nequitiam tamen affirmandum est, quod omnia, quæ de *Deo* cognoscuntur, & dicuntur saltem *improprie* se habeant, & vere, proprieque ipsi  
non



non competant, quæ *via proxima est, ad omnem religionem evertendam.*

5. *Deus*, propriiſſimo ſenſu *Spiritus* dicitur & nullo modo, ne quidem *ſubtiliſſimo* v. c. mathematico, *corpus aut materiam* habet, imo, ſi res accuratius conſideretur, *ipſa quoque Scriptura*, ſic de Deo ſemper loquitur, ut *ejus immortalitatem* ſalvã aſſerat, & ſalvã relinquat, eſſi primo intuitu aliud quid videatur indicare illis, qui *extra fontes*, *Scripturam* legunt. Itaque *immensitas & æternitas propriiſſima* & *intima Deo convenit*, non ſaltem reſpective, & qua nos, ſic diſta.

6. *Miſericordia Dei*, ſi accipiatur pro *ἀποτέλεσματι*, vel *effectu commiſerationis*, non eſt Deo eſſentialis; eſt vero ipſi *eſſentialis bonitas & benignitas ordinata*, quæ *juſtitiam* ejus non ſubvertit.

7. *Omnipreſentia Dei*, quanta fieri poterit accuratione ſic repræſentanda, non ſaltem, ut ſit *attributum operationum*, verum etiam *ἀποτέλεσμα*, & *effectus divinus*, per quem Deus, ſe ipſum exhibet, omnibus rebus, *primo exhibitionis & præſentie gradu*, atque viciffim omnia *citra ullum ſpatiorum impedimentum* ipſi exhibentur. Quod, ſi obſervetur, *pleræque difficultates*, quæ de *præſentia Chriſti in ſtatu exaltationis*, de *approximatione Dei* &c. formantur, ſolvi poſſunt.

8. Caveant ſibi, qui *Theologiam* tractant, ne *affectus*, in *meros effectus*, cum primis *externos* convertant; hic enim utrumque extremum evitare debent; unum, ne *imperfectiones* Deo tribuant,

buant, alterum, ne *phrasēs S. S. pręgnantes*, in *meras figuras rhetoricas*, vertantur.

9. *Voluntas Dei*, nunquam est, vel fuit (etiam ante creationem rerum) indifferens ad quodlibet bonum vel malum, verum, vel falsum; sed potius *conformis conveniensque fuit semper*, cum *ceteris attributis divinis*, quę talem indifferentiam non admittunt, *sigillatim cum veritate & sanctitate DEI*.

### Caput III.

## DE S. S. TRINITATE, SEV DEO TRIVNO.

### Th. I.

SACRA TRINITAS *divinarum personarum*, non potest salva fidei *ἀναλογία* & praxi, seponi, nedum negari. Quippe cum ne concipi quidem possit *salutaris fidei actus*, nisi quis intelligat, *dari in Deo personas*, in quibus fides salusque nostra nitatur. Nam

1. ut concilietur *justitia & misericordia divina* (sine quibus analogice & harmonice cognitæ, fides non potest dari,) opus est agnoscere *summum judicem*, penes quem reconciliatio fiat, & ad quem ultimo res reducatur.
2. agnoscî debet *persona satisfaciens*, quę aucta cum humanitate, *intercedat apud Patrem reconciliet nos, & mereatur nobis*.
3. agnoscenda est *persona*, quę *meritum fidei* nobis applicet, & *bonos motus* in nobis producat.

Ita.



Itaque *prima persona* agnosci debet, ne totum opus *salvationis* inane reddatur. *Secunda persona*, ut *satisfactio* & *meritum* detur, idque *supremo Judici* offerri posset; *Tertia autem persona*, ne in *ordine salutis*, *salvatio* nostris *viribus* adscribatur, aut *ordo*, cum *fundamento salutis* confundatur.

2. *Omnis subordinatio & inaequalitas* in *divinis* afficit *ipsam essentiam*; itaque nullo modo dici potest, quod *filius*, aut *spiritus sanctus* subordinentur *Patri*, ipsoque inferiores sint; quæ *thesis*, magno cum *Ecclesiæ dolore*, in *Britannia* hodie dominari cœpit. Tres præcipui viri fuerunt, haud contemnendæ eruditionis, qui illam arripuerunt. *α. Joannes Wallisius*, *Mathematicus insignis & Episcopus*. *β. Georgius Bullus*, *Episcopus Assaphiensis*, in *fidei Nicænæ defensione*. *γ. Henricus Whistonus*, *Mathematicus*, qui *Christianismum*, et *Chiliasmum*, cum *Naturalismo* conciliare studuit.

3. *Trinitas Platonica*, nec non *Theosophorum*, & *Mysticorum* nostri temporis, præsertim *Paireti*, est *trinitas essentiae*, non *personarum*; ergo diligenter est vitanda.

4. *Discrepantia Patrum græcorum*, circa *Trinitatem ὑποστάσεων*, quæ ante *Concilium Antiochenum* observata fuit, inde exorta est, quod nonnulli *notionem existendi & essendi* confunderent; hi enim, per *genus docendi*, in *philosophicis scholis*, maxime *Aristotelica*, receptum, unam saltem ὑπό-

D

στασιν,

ἁσιω, h. e. *substantiam Aristotelicam*, in Deo ad-  
mittebant, nihilominus tamen tria ὑψίστατα,  
*tres intelligentes & agentes*, admittebant.

5. *Generatio Filii, & Spiritus Sancti spiratio*  
æternum durans, non sunt *actus transitorii*, quod  
tamen intelligendum est, *remotive non positive*, h. e.  
removetur per hanc phrasin a Deo æterno, *successio*  
*temporalis*, & hoc in mysterio præsentis sufficit.

6. *Circa questiones ancipites*, quæ de mysterio  
*Trinitatis* formari solent, sequens observatio dili-  
genter est notanda: *Quædam redeunt ad meram*  
*accurationem stili theologici* v. g. *An dici possit;*  
*Quod Pater & Filius sint principia, quæ Spiritum*  
*Sanctum spirare possunt?* quædam vero reduci  
debent ad *Curiositatem ingenii humani*, quæ par-  
tim realis est, circa *res arcanas* v. g. quænam dif-  
ferentia positiva, & circumstantialis detur, inter  
*generationem filii, & spirationem Spiritus Sancti?*  
partim mere verbalis est, *circa phrasès & formu-*  
*las non necessarias* v. c. num dici possit: *quod filius,*  
*qua humanam naturam spiret Spiritum Sanctum?*  
Quæstiones primi generis tractari possunt, debent-  
que, sed sine animorum motibus, si cetera sint pa-  
ria, reliquæ vero rectius seponuntur, quippe cum  
*Curiositas* locum hic habeat.

#### Caput IV.

#### DE ACTIONIBVS DIVINIS.

##### Th. I.

*Actiones Deo tribuuntur verissime atque pro-*  
*priis*



priissime; quicunque enim ex Dei actionibus *mera* schemata sibi, atque *respectus & proportiones* diversas fingunt, non procul absunt ab *Atheismo*; itaque *docendum*: Deum *vere intelligere, vere velle, vere discernere, maximeque cavendum est, ne per* αὐθροποπαθείων *veritas actionum divinarum evertatur.* Quamobrem in tota hac tractatione diligenter discernenda est *veritas actionis, a modo agendi*; illa apprehendenda est, *ex scriptura & ratione*, hic vero (*modus specialis*) incomprehensibilis omnino est, manetque.

2. In considerandis *actionibus Dei, circa res terrenas, omnia quidem attributa divina simul sunt consideranda: Sapientia tamen Dei est attributum architectonicum, quod ultimo dubia ferme omnia solvit, & ad ordinandas nostras meditationes, plurimum confert, omnia bene præstat, & gubernat.*

3. In consideratione *actionum Dei spiritualium, attributum architectonicum est gratia, & Φιλανθρωπία divina, ea vero non absoluta, sed justitiam Dei in salvo relinquens.*

Locus IX.

DE CREATIONE.

Th. 1.

In doctrina de *creatione, cum primis evitanda est omnis emanatio mundi ex Deo, sive dicatur mediata, sive immediata, quam subtiliter etiam illa fingatur: deinceps diligenter cavendum est, ne ullo modo, Deum, in essentiam mundi & creatura-*

rum immisceamus, ut vel pro materia, vel pro forma mundi, aliquo modo habeatur, sive illud fiat, sub pretextu Spiritus vitalis Cosmici, animæ mundi, Archæi, sive sub titulo solidi, quod in creaturis est, aut essentiæ nobilissimæ centralis.

2. Omnis æternitas mundo est deneganda, tanquam dogma absurdum & impium, quam maxime etiam illud tegatur & excusetur; mundus enim nec formaliter est æternus, nec potentialiter, nec idealiter, nec seminaliter.

3. Optima hypothesis physica, præeuntibus sacris literis, ex doctrina de Creatione, peti potest, cujus hypotheseos primordia tribus articulis sequentibus constant:

- α. Deus vere materiam produxit, cujus essentia interna nobis non est representata, vel perspecta.
- β. Huic materiæ, Deus, statum ordinarium, & leges physicas, ad illum statum pertinentes, dedit, quæ durant in regno naturæ, & quam diu hæc machina mundi stabit, non autem extendi debet ad mysteria revelata, neque ad statum futuræ vitæ.
- γ. Etsi forma corporum interna nobis non perspecta sit, intelligimus tamen beneficio phenomenorum physicorum, per sensus, & experientiam collectorum, formam eorum externam potissimum esse mechanicam, quæ Pædagogicæ loco est, ad formam interiorem modeste atque ordinate vertendam.

Locus



Locus X.  
DE ANGELIS.

Th. I.

Pauca sunt in doctrina de *Angelis*, quæ ad *Apo-*  
*dixin theologiam* hæctenus perducta sunt, adeo-  
que potissima hujus loci pars intra *problematicam*  
*indolem* consistit; quare in tractandis his materiis  
sobrie cumprimis, & circumspicte versandum est,  
& adspirandum, decore atque ordinate, ad majo-  
rem *ἀσφάλειαν*, quæ antequam obtineatur, nihil  
temere definiendum, aut præpostera curiositate,  
animi discentium occupandi sunt.

2. Angeli, in *negotium salutis* non sunt immi-  
scendi; quamvis enim intra *subsidia nostræ salutis*  
extraordinarie poni queant, propter *exempla* quæ-  
dam, in sacris literis extantia: tamen nec ordina-  
rius quidam, multo minus essentialis *nexus actio-*  
*num angelicarum*, cum opere salutis, intrinsecus  
spectato, datur; extrinsecus vero, & qua *circum-*  
*stantias vitæ Jesu Christi*, non negamus, *Angelos*  
*ad negotium salutis concurrisse*.

3. Quamvis nostratium nonnulli hæctenus do-  
cuerint: nullos dari *Archangelos*, speciatim vero  
*Michaelem biblicum*, nihil aliud per omnia S. S.  
loca esse, quam *Christum*; tamen ex Epistolæ Ju-  
dæ v. 9. contrarium satis est manifestum. Præstat  
interim docere unum, quam plures dari *Archan-*  
*gelos*. (vid. D. Henrici Hæpfneri L. T. p. 144.)

## Locus XI.

## DE PROVIDENTIA DIVINA.

## Th. I.

In doctrina, de *providentia*, non saltem opera dari debet, ut *jus Dei*, factum rectumque conservetur, præsertim qua *attributa impediencia libertatis, justitiæ, sanctitatis, sapientiæ, & gloriæ divi- næ*; sed etiam *jus hominis* non est negligendum; quamvis enim homini erga Deum, stricte loquen- do, *nullum jus* competat, accipit tamen humanum genus, a Deo, *duplex jus*, alterum *originarium*, quod oritur ex natura creaturæ liberæ, quamprimum illa, tanquam creata, concipitur; alterum vero est *donativum*, oriens ex *Φιλονογησῖα* Dei revelata. *Utrumque jus hominis* semper præ oculis habendum est, quoties de *providentia Dei* di- sputatur. Rectius hic faciunt, qui *hypothesēs po- sitivas*, de providentia non formant, sed *remotive* potius agunt.

2. *Conservatio* longe rectius dicitur *Continua- tio Entis creati*, quam *continuata creatio*; nam posterior hæc phrasis, multis obnoxia est absurdis. Itaque concipiatur *conservatio*, tanquam plena im- peditio omnium illorum, quæ ens semel produ- ctum destruere posset; ipsius quoque fluxæ con- ditionis, quæ creaturis per ipsarum naturam competit.

3. *Cave pronuncies, MALVM, ad gloriam Dei manifestandam; necessarium esse.*

*Theses*



*Theses*

DE MIRACVLIS, AD LOCVM DE PROVIDENTIA, REFERENDAE.

Th. 1.

*Miracula sunt actus extraordinarii providentiæ specialissimæ; ab ostentis, & præstigiis recte distinguendi; supponuntque semper actum interiorem voluntatis divinæ, & fundamenta sufficientiæ extraordinariæ actionis Dei. Itaque retrocurrunt cum providentiâ approbatrice, quia quodlibet miraculum ostendit, Deum approbare ea, quæ miraculo confirmat, vel quorum hostes, miraculo edito, punit.*

2. Itaque accurate loquendo, *solus Deus miracula patrat, quamvis interdum id faciat per homines; solus enim Deus potest, tum supra naturæ vires, tum, contra naturæ leges, agere, quorum utrumque requiritur ad verum miraculum.*

3. Diligenter distinguendum est, *inter naturæ vires, quæ nobis sufficienter cognitæ nondum sunt, & ordinem naturæ, de quo nobis sufficienter constat; ad ordinem vero naturæ pertinent partim naturæ leges, partim ordinarii rerum naturalium cursus. Angeli possunt aliquid efficere, præter ordinarium naturæ cursum, sed non contra leges, & vires naturæ.*

Locus XII.

DE VITA ET MORTE AETERNA.

Th. 1.

*Vita æterna, in hoc jamjam vita possidetur,*  
*D 4 juxta*

*juxta phrasin Christi, sed sano sensu, non fanatico, & pseudo-mystico; nam vita gratiæ, & gloriæ, conveniunt radicaliter, quamvis non unum idemque sint formaliter, si intelligas formam plenam, adequatam, & expressam; illa æterna est in fieri, hæc in esse; in illa possidemus idem objectum èν μὲν καὶ ἐν ἑαυτῷ atque mediate, quod in vita gloriæ possidetur, κατὰ τὸ εἶναι & immediate. Vita gratiæ non solum includit jus ad vitam gloriæ, & spem ejusdem, sed etiam radicem & causam illius, in fieri constitutam.*

2. Non datur status medius inter vitam & mortem æternam, quam subtiliter etiam ille repræsentetur; quare & status ignorantium, atque morte preventorum, quem, cum Lichtscheidio quidam confingunt, non est concedendus.

3. Errori Peterfeniano, de sine damnationis æternæ rectissime occurritur, si ante omnia moneas, materiam hanc non esse philosophicam, sed mere theologicam: nam argumenta Peterfenii primaria, & maxime urgentia, sunt mere philosophica, quibus denique succenturiantur dicta quaedam S. S. difficilia, & maximam partem manifeste detorta: Deinceps notandum est, in hac quæstione includi æternitatem, quæ nec comprehendi potest, nec proportionem admittit; itaque argumenta ab incomprehensibili, & à defectu proportionis desumpta, plane non sunt ad rhombum.

Pars



## Pars II. ejusque.

## Locus I.

DE SVBJECTO THEOLOGIAE, NEMPE  
HOMINE.

## Th. I.

**E**ssentia hominis, non ita est perspecta *Physicis*, ut ex eorundem principiis, sufficientissime de illa dici, aut essentia hominis comprehendi possit; quippe cum *Physica nostra*, non nisi statum hominis præsentem, ejusque naturam, quatenus in hoc statu se habet, & cognosci potest, repræsentet; quod verum, etiam de *Physica interiori* quam *chymicam, theosophicam, & mysticam* vocant. Igitur status hominis, qui fuit *ante lapsum*, transcendit *Physicæ* considerationem, multo minus ea, quæ *Pontificii de puris naturalibus, & Sociniani de primorum hominum imbecillitatibus*, pronunciant, locum inveniunt, quippe quæ omnia falso isthoc principio nituntur, quod *Physica sit norma omnis doctrine de homine*.

2. Nullum datur, in hominis natura, principium salutis, nec activum, nec passivum, sive illud appelles, spiritum sidereum, aut divinum, aut sanctum sanctorum, aut fundum anime, aut scintillam divinam, aut partem aliquam tertiam essentie humane, intimam perfectissimamque, sive occultes illud, sub nomine reliquiarum imaginis divine, sive tertium aliquem modum igneum, lucidum, angelicum &c. fingas, qui in ipsa humana quoque natura lateat.

3. *Corpus hominis non est merum animæ instrumentum; imo hæc hypothesis valde est pernicioſa, & multis fidei articulis, inimica.*

Locus II.

DE IMAGINE DIVINA,

Th. I.

Quando *Theologi noſtri, reliquias imaginis divine, vel reſiduas quasdam partes agnoſcunt, nequaquam intelligunt partes eſſentiales, ſed integrales; deinde intelligunt imaginem divinam, acceptam, non in ſenſu biblico, ſtriſto & accurato, verum in ſenſu eccleſiaſtico, atque latiori; ſive ſtatum integritatis in ſua latitudine conſiderant, ad quam primario ſpectat, imago divina, ſenſu biblico dicta: ſecundario autem perfectiones humane nature, ad ejus eſſentiam conſtitutive, vel conſecutive pertinentes, qualia ſunt immortalitas anime, notitia Dei naturalis &c. atque hæc ſub nomine reliquiarum intelliguntur.*

2. In ſtatu integritatis nulla concedi debet pugna in natura hominis, neque pugna qualitatum primarum, in corpore, neque pugna appetitus & rationis in anima; ſed potius in natura corporis & anime regnabat tum, harmonia præſtantiffima, accedebatque præſervatio divina, a cauſis externis, quæ aliquam pugnam producere poſſe videbantur; quæ tamen non abſoluta erat, ſed ordinaria. Non quidem negamus actionem, & reactionem, in primo homine, locum habuiſſe, ſed non fuit deſtructiva,



Alia, adeoque pugna dici non potest, quamvis post lapsum destruit.

3. Cavendum magnopere est, ne *doctrina de imagine divina* inferatur in locum *de regeneratione*, vel in locum *de justificatione*, obtinet tamen locum *in articulo de sanctificatione*, sive *renovatione*, in quo accuratius dicitur *renovari hominem ad imaginem Dei*, quam *renovari imaginem Dei in homine*.

Locus III.

DE PECCATO IN GENERE.

Th. I.

Quicumque ex *sola consideratione peccati philosophica*, sive illa sit *metaphysica*, sive *moralis*, credunt, se difficultates hujus doctrinae superaturos, praesertim in quaestionibus sequentibus: *Num Deus peccati causa aliquo modo sit, & an peccatum sit merum nihil?* illi magnopere falluntur; sola enim *Theologia*, de peccato *sufficienter* judicat, *Philosophia* nonnisi *mancos conceptus* nobis offert. *Theologica* vero *peccati consideratio* supponit

1. *ex Metaphysicis*, tanquam praenotiones quasdam, *actum*, quem vocant *entitativum*, qui est merum *accidens* cum *αὐτοψία* connexum, & mente, ab illo abstrahendum.
2. *ex Moralibus*, moralitatem actus istius, tanquam novum *accidens*, ut adeo peccatum sit *ens accidentale*, per *accidens*, adeoque difficillimae cognitionis.

3. *Theologia docet, duplicem esse hominis, ad Deum, relati statum; alterum unionis, alterum rebellionis, & hunc non esse mere privativum (sensu morali) sed positivam repugnantiam, ipsumque peccatorem, novum sibi centrum morale, contra Deum (qui omnium rerum centrum esse debet) figere. Itaque materiale peccati, sensu mere metaphysico, est actus entitativus: sensu morali autem est actus moralis, cum illo actu entitativo, per accidens, conjunctus: Formale peccati sensu metaphysico (qui hic est omnium imperfectissimus) est ἀνομία latissime, seu vulgo dicta; sensu autem morali est ἀνομία signata; (id est circumstantiis, quæ referuntur ad legem, determinata) theologico autem sensu, formale peccati (nam qua materiale convenit Theol. cum Ethico) est ἀνομία signata emphatice dicta, rebellionem contra Deum includens.*

2. Non soli habitus vitiosi, in pravos actus erumpentes, nomen peccati merentur, sed quælibet actio ἀνομος, vere est peccatum, quod contra Ethicam Crellii, aliorumque Socinianorum hypotheses morales notari debet.

3. Est aliquod discrimen, inter peccatum stricte dictum, & actionem peccaminosam, vel peccato infectam. Hujus enim materiale, sensu ethico acceptum, non est malum, quamvis formale, propter statum personæ agentis, aliasque circumstantias, malum sit. Peccati autem stricte dicti, materia-



teriale, malum est, deinceps differt a peccato ἡ-  
 τηρα, quod est actio ex misera generis humani  
 conditione enascens, atque vanitate objectiva sca-  
 tens, & cum peccato facillime coalescens: quale ἡ-  
 τηρα est Processus forensis. I. Cor. VI, 7.

Theses

DE LAPSV GENERIS. HVMANI, QVEM  
 SCHOLASTICI VOCANT, PECCA-  
 TVM ORIGINANS.

Th. I.

Lapsus Protoplastorum est actus conglomeratus,  
 ut Scherzerus loqui solet, sive congeries (Systema)  
 multarum actionum internarum & externarum,  
 per gradus ad malitiam consumatam ascendendum,  
 qui in historica lapsus descriptione, non omnes  
 enarrantur. Unde apparet, de lapsu illo, non nisi  
 adhibito discrimine, servatoque ordine, loquen-  
 dum esse.

2. Circa doctrinam de lapsu, quam plurimæ  
 dantur *questiones otiosæ*, quæ eo difficilius solvun-  
 tur, quo pauciora de statu integro Protoplastorum,  
 deque conditione animi & corporis nostri, ante  
 lapsum nobis perspecta sunt; itaque ab his merito  
 abstinetur.

3. Magni momenti est quæstio: num omnes ad-  
 unum homines actu in protoplastis peccaverint?  
 quam præcedit quæstio, de existentia totius gene-  
 ris humani in lumbis Adami? & nobis quidem  
 probatur responsio affirmans, ad utramque quæ-  
 stio-

stionem decenter formata. Interea propter *negotii difficultatem* existimamus, eos in *sana Ecclesia* tolerari posse, qui verum reatum lapsus, in quolibet homine agnoscunt, tamen actum peccandi, solis Protoplastis adscribant.

*Theses*

DE PECCATO ORIGINIS.

Th. I.

Ut doctrina de *Peccato Originis* plenius, feliciusque agnoscat, discrimen faciendum est, *inter statum, & habitum pravam*, quorum uterque ad peccatum originis pertinet; non enim est *simplex habitus corruptionis*, nec *merus status condemnationis*, sed *utrumque* complectitur. Itaque ad peccatum originis plene consideratum, sequentia pertinent:

1. *Privatio status integritatis.*
2. *Contrarius status damnationis, iræ, & maledictionis.*
3. *Privatio habitus justitiæ, sanctitatis, sapientiæ, ceterarumque perfectionum connatarum.*
4. *Contrarius habitus moralis rebellis contra Deum.*
5. *Contrarius habitus pneumaticus animæ consistens, in innumeris morbis intellectus atque voluntatis nostræ.*
6. *Contrarius habitus physicus analogice sic dictus, consistens in dispositione corporis ad malum, morbos, & mortem inclinantis.*



2. Valde intricata est doctrina de motibus concupiscentia primis & secundis, quæ optime, sequenti ratione concipitur: Motus pravi duorum sunt generum; quidam explicite non sunt voluntarii, & appellantur primi (scil. motus) atque illi, vel sunt primo-primi, in quibus homo videtur se habere mere passive v. c. quando pulchritudo rei vetitæ inopinantem me adoritur, tanquam res grata, atque sic peccatum seminaliter in se continet; aut sunt semina peccatorum; vel secundo-primi, in quibus active quodammodo homo se habet ex præcipitantia & imbecillitate v. c. quando ad pulchritudinem rei vetitæ attendo, & in illa attentione moror. Atque hi sunt velut Embryones peccati, quidam explicite voluntarii, quando videlicet pulchram rem veritam mihi appeto, atque hi sunt peccata actualia, plene sic dicta, & quidem interna; cum motus primi sint appendices peccati originis.

3. Notetur diligenter, quod peccato originis adhereat, non solum pœna stricte sic dicta, sed & miseria originalis, ad quam pertinent omnes vanitates objective sic dictæ, molestia malorum & imbecillitates physica; atque his miseriis, Christus obnoxius fuit, per ipsam incarnationem, statumque exinanitionis, pœnas vero stricte dictas, præterea volens in se suscepit. Phil. II.

## Theses

## DE PECCATIS ACTVALIBVS.

## Th. I.

Etſi quodlibet peccatum actuale *omiffionem* aliquam, & *comiffionem*, ſimul complectatur; tamen peccata *omiffionis*, a peccatis *comiffionis*, jure ac merito *diftinguuntur*; reſedit enim diſcrimen ad proprium peccati *objectum*, actumque *formalem*, *objectis*, actibusque *ſyndromis* interea ſepoſitis. Similiter quodlibet peccatum, ſuo modo, ſimul *contra Deum*, *proximum*, ac nos *ipſos* peragitur; & nihilominus recte *diftinguitur*, inter peccata, quæ *Deum*, quæ *proximum*, & quæ *nos ipſos* ledunt, obſervata eadem ratione.

2. Dantur peccata, per *accidens*, talia, quæ etiamſi in ſe ſpectata, pro peccatis haberi nequeant; tamen *ob circumſtantias*, ſtatusque *perſonarum* diſverſos, peccata ſunt: qualia cumprimis habentur *ſcandala mixta*.

3. Ut recte intelligatur, quid ſit peccatum in *Spiritum Sanctum*, obſervandum eſt, duo cumprimis, ad illud requiri:

1. *Habitu* blaſphemandi officium *Spiritus Sancti* applicatorium, cum iis, quæ ad illud pertinent.
2. *Statu* indurationis eminentis, & *judicii* divini ſingularis; præterea notetur *ſubjectum* hujus peccati eſſe *hominem* externe (*extrinſecus*) in *Eccleſia* conſtitutum.

Theses



*Theses*

DE LIBERO ARBITRIO.

Th. I.

Optima est Hieronymi Kromayeri observatio: Hominem, per vires liberi arbitrii nequaquam se magis dispositum reddere posse, ad salutem; posse autem eundem efficere omnino, ut sit minus indispotus altero, ad salutem. Hinc non influit in esse salutis nostræ, sed ad meras circumstantias, atque ad pædagogiam externam. Conf. illius Theologiam Positivo-Polem. Artic. IX. p. m. 544.

2. In doctrina de libero arbitrio cum primis distinguendum est, inter pædagogiam Dei, & hominis; illa latissima est, continetque tum opera providentiæ (per quæ Deus homines ad usum mediiorum exteriores manuducit) tum vocationem & præparationem gratiosam: Pædagogia autem hominis nihil aliud complectitur, quam actiones in hominis potestate naturali positas, quæ per accidens, ex singulari tamen directione pædagogicæ divinæ, hominem ad usum mediiorum salutarem manuducunt, & a Theologis vocantur *Hemisphærium inferius*; atque hi actus pædagogici hominis capiendi sunt præcise, strictissimeque quatenus hominis sunt; quamprimum enim nexus eorum aliquis, cum gratia simul indicatur, tum non amplius mere ad pædagogiam hominis, vel *hemisphærium inferius* pertinet. (vid. D. Fechtii Lect. in Syllogen. p. 243. 245. 246.)

3. Perdifficilis est quæstio, *de residuis viribus illorum, qui ex statu regenerationis prolapsi sunt*: Nam certum quidem est, *Theologos veteres, & recte omnino, tales virium spiritualium residuas reliquias prolapsis concedere*; sed quisnam sit *earum virium ambitus & influxus in negotium conversionis reiterata*; hoc tam arduum est, ut post *pias preces, diligentiori peritorum scrutinio opus sit.*

*Theses*

DE RESISTENTIA, ET STATU HOMINIS, ANTE GRATIAM.

Th. I.

Diligenter custodienda est, his temporibus, *vetorum Theologorum distinctio, inter repugnantiam naturalem, quam etiam simplicem vocant, & affectatam, quæ moralis quoque & malitiosa nominatur.* Prior, ut intermittatur, prorsus in hominis potestate positum non est, sed per ipsum *appulsum mediolorum eadem tollitur, virtute mediolorum divina*; antequam vero id fiat, homo, *primo mediolorum appulsui, malitiose & affectate resistere potest, sive efficere, ut media ad ipsum non appellant, quatenus sunt media*; hoc ipsum vero quoque intermittere potest, *viribus liberi arbitrii philosophici.* Præterea post *appulsum mediolorum, denuo malitiose resistere potest, mediolorum effectibus, atque idem etiam potest intermittere, per, & propter initia virium spiritualium, ope mediolorum salutis,*



lutis, in ipso producta. Sed præterea notandum est, non solum *resistentiam affectatam*, esse peccaminosam, sed ipsam quoque *naturalem repugnantiam*, quæ propterea non confundenda est, cum mera *imbecillitate naturali*, qualis etiam in Christo, tempore exinanitionis ipsius, observabatur, v. c. cum in monte Oliveti *hesitaret*, & *graviter angeretur*.

2. De *statibus iræ*, & *gratiæ*, hoc cum primis observandum est, quod duplici modo intelligantur:

1. In *sensu fundamenti salutis*; atque tum absolute se habent, nec possunt misceri vel dividi, ut quis, ex parte, sit in *statu iræ*, ex parte vero in *statu gratiæ*.

2. In *sensu ordinis salutis*; ubi admittuntur *incrementa* & *partitiones* atque *comminationes*, sensu orthodoxo; nam ille, v. g. qui in *preparatione* positus est, ex parte est in *statu gratiæ*, quatenus *gratia præveniens* & *assistens* ipsi competit; ex parte autem est in *statu iræ*, quatenus ad *effectus gratiæ plenos* & *salutares* nondum pervenit. Prior sensus est *mere forensis*: posterior est *quasi physicus* & *inhærens*; non autem denominatur homo sensu posteriori, a *statu iræ* vel *gratiæ*, nisi vel *ira peccatumque*, vel *gratia*, in ipso dominetur, & *victoriam obtineat*.

3. *Languor renatorum*, non confundi debet, cum *incapacitate*, & *resistentia irrogenitorum*; illi dicuntur *paululum dormire*; hi vero *graviter dor-*

*dormire, & mortui esse.* Unde Hülsemannus verba Pauli Ephes. V, 14. recte de *regentis languentibus* explicat. (in Vindiciis S. S. p. 81.)

*Theses*

DE OECONOMIA SALVTIS, ET OPERE  
SALVTIS IN GENERE.

Th. 1.

*Clavem*, ad difficultates, quam plurimas, in tertia Theologiæ parte occurrentes, exhibent *sequentes distinctiones*, maximo studio retinendæ:

1. *Inter arcana divinitatis, & revelatam Dei voluntatem.*
2. *Inter fundamentum, & ordinem salutis, quorum illud est speciale, & ad forum divinæ justitiæ, solum spectat; hic vero ordo est medicinalis, atque in ipsa hominis mente observatur.*
3. *Inter media salutis, & eorum fructus.*
4. *Inter media salutis striçte sic dicta, & mera subsidia Christianismi.*
5. *Inter gratiam, & ejus phenomena.*

2. *Gratia originalis*, h. e. illa, ad quam ultimo redeundum est, quando de origine nostræ salutis quaeritur, non est attributum divinæ *Φιλανθρωπείας*, sed *ἐνέργημα* divini consilii, cujus autor, quantum ex revelatione cognoscitur, *filius Dei* fuit. Ultra hæc progredi non licet.

3. Rarior est, sed admodum necessaria, doctrina de *unione actionum humanarum*, cum *χρησµασι* seu effectibus gratiæ divinæ. Notandum itaque est, quod

a. de.



- α. *detur unio mere relativa & externa, inter ductum Pedagogiae divinae, quem gratiam pedagogicam vocant, & inter actiones hominis naturales, ante appulsam mediorum; ita tamen, ut actiones hominis maneant mere naturales.*
- β. *Quod detur unio partialis, attamen realis & interna, inter effectus gratiae preparantis vel assistentis, & actiones hominis, ab eo usque momento, quo media salutis, ad hominem pervenerunt, usque ad momentum regenerationis, atque haec unio habet sua incrementa & successiones.*
- γ. *Quod detur unio (sano sensu) totalis, inter gratiae perficientis & inhabitantis effectus, & inter actiones hominis regeniti.*

*Theses*

DE GRATIA UNIVERSALI, ET VOLUNTATE ANTECEDENTE.

Th. I.

Quando thesi secunda praecedentis capitis dictum est: *Filio Dei fundamentum atque initium benevolentiae & gratiae Dei universalis, attribuendum esse, cum grano salis, hoc accipiendum est; facile enim hic impingi potest una ex parte, offendendo gloriam Patris, Patri debitam, qui pro fonte actionum divinarum, semper & ubique habendus est; vel etiam in fabulas Cabbalistarum inclinando, & ultra id, quod scriptum est, sapiendo: ex altera vero parte, ledendo aconomiam salutis*

revelatam, quæ a Mediatore, omnem nostram spem, ipsumque salutis primum aditum derivat. Quare Theologi hic dissentire videntur. Una ex parte stant Hülsemannus, Scherzerus, J. B. Carpzovius jun. ex altera Calovius, Königius, Neumannus, quos sic conciliare poteris: aut queritur generatim, & in abstracto, de constituenda æconomia salutis, & hæc quæstio redit ad arcana consilii divini, de quibus rectius filetur; aut queritur sigillatim de hujus & istius hominis salute, quatenus ex gratia universali oritur, atque tum recte docetur: initium salutis filio Dei adscribendum esse. (conferatur D. Neumanni disp. de fundamento benevolentia Dei universalis; & D. Weikhamni sen. Morgen=Stern p. 358. seqq.)

2. Multa, nostris temporibus dubia exorta sunt circa voluntatem antecedentem, quando desinat? quo usque extendenda sit? quæ felicissime superari possunt, si noceatur, voluntatem antecedentem, dupliciter accipi, primum, pro principio motuum gratia offerentis primæ, quæ inevitabilis, a Theologis appellatur, sive pro principio primæ vocationis; secundo, pro voluntate salvandi homines, spectata sub ratione mediorum, quatenus hæc omnibus ordinata sunt. Uerque sensus Theologis appellatur sive accipiatur primum, pro principio primæ vocationis, sive secundo, pro voluntate salvandi homines, spectata sub ratione mediorum, quatenus hæc omnibus ordinata sunt. Posterior sensus Theologis consuetus est; & juxta hunc, voluntas antecedens



*dens non desinit ante hominis mortem.* Priorem vero sensum B. Hülsemannus interdum usurpavit, cum primis, ubi in *Vindiciis S. S.* affirmavit: *voluntatis antecedentis terminum esse voluntariam hominis contumaciam.* (p. 87. vide D. Itigium de Reservato Dei §. 33. & D. Neumanni ausführliche Erörterung p. 119. seqq.)

3. *Deus non solum vult facere, sua ex parte, ordinate, ea omnia, quæ ad cujuslibet hominis salutem pertinent, sed etiam ordinate vult, ut homo recipiat media salutis, effectus gratiæ, imo, ut capax fiat ad salutem, quod omnium est maximum; sed clarissimis verbis legitur 2. Pet. III, 9. (conf. D. Fechtii Lection. in Syllogem p. 249. seqq.)*

*Theses*

DE GRATIA SPECIALI, SIVE ELECTIO-  
NE, SIVE DE PRAEDESTINATIONE  
ET REPROBATIONE.

Th. 1.

*Inscriptio in librum vitæ, simpliciter, atque de se, non est phrasis, decretumque immutabile indicans, atque ideo accurate sentiendo, non est Synonymon Prædestinationis; nam dijudicanda ex circumstantiis locorum biblicorum, in quibus occurrit, & ex materia substrata: Et cum liber vitæ duplici ratione in S. S. commemoretur, nempe α. de catalogo regeneratorum atque fidelium β. de catalogo electorum, hinc factum est, quod non numquam deletionis e libro vitæ mentio fiat; respicitur enim*

ad *catalogum regentorum*. Similiter phrasis: *Poni ad iram*, non est Synonymon *Reprobationis*, quia nullibi in sacris literis, quispiam dicitur *positus ad iram*. Nam 1. Theff. V, 8. jura paria locum non habent, cum primis, *quia electio & reprobatio non sunt paria, sed innumera sunt prioris prerogativæ*, præ posteriori. (NB. non sunt opposita æqualia & paria, sed inæqualia.) Præterea notandum est, *Electiōnem in sacris literis*, aliquando, sed rarissime adhiberi *de electiōne ad prerogativas v. c. Rom. IX. quæ non est confundenda cum electiōne ad salutem*.

2. Diu, multumque disputatum est, *de valore fidei in negotio electiōnis*. Optima autem docendi ratio videretur illa esse, *quando fides appellatur causa electiōnis impulsiva, minus principalis; ita ut per hanc notionem intelligatur talis causa, quæ non impellit propria vi, sed aliena; nempe vi objecti justifici, atque apprehensi, quod est Satisfactio Christi*. Eadem videretur esse *Ægidii Humii sententia*, qui *fidem nominavit, electiōnis causam instrumentalem*, atque procul dubio, intellexit *causam impulsivam, quasi instrumentalem*.

3. *Reprobatio est actus mere forensis*, tum in se, tum antecedenter spectata, & hac etiam ex parte, impar est electiōnis, quæ, (qua præsupposita, & antecedentia quasi sua, nempe ipsum opus & cursum salutis,) etiam est sano sensu physica, vel influxum realem infert; hinc factum est, ut nonnulli Theologorum, *reprobationem noluerint habere,*



bere, *pro vera actione morali*, sed eam dixerint omissionem actionis, vel præteritionem nominalem. (nolunt enim agnoscere *aliquid positivi* in reprobatione.)

*Theses*

DE PERSONA, ET NATVRIS CHRISTI.

Th. 1.

Quamvis aliquam veritatis speciem habeat illorum sententia, qui *Christum*, humanam naturam, assumpturum fuisse sentiunt, etiamsi homines non peccassent; tamen ab illa, quamvis elegantius picta, rectius abstinetur, quippe cum exinde *confusio naturæ & gratiæ* oriatur, vel tamen ad illam deducat. Durissima autem omnium est illorum opinio, qui humanitatem aliquam filii Dei, nisi per *necessitatem naturæ divinæ* debitam fuisse, & ab æterno tanquam partem divinitatis extitisse, sentiunt.

2. Cum *doctrina de Christo*, suis difficultatibus non careat, certum est, *studio aliquo, & accuratiorne philosophica* opus hic esse, quamvis primo omnium opera dari debeat, ne nimis hic philosophemur, sed præter necessitatem veram & sufficientem, a *subtilitatibus* nobis temperemus. Cum primis autem supponendum hic est *discrimen metaphysicum, inter ordinem essendi, & existendi*, quæ differunt *tanquam reale & reale*, neutiquam vero *tanquam res & res*, vel *tanquam due essentiæ*.

E 5

3. In

3. In *Christo* diligenter distinguatur, *actus naturalis*, & *personalis*, quorum ille duplex est, atque in æternum permanet, *hic* vero unus. Notari tamen debet, *humane Christi nature*, *actum* quidem *personalem* τὸ λόγῳ fuisse communicatum, non vero *characterem personalem*.

*Theses*

DE VNIONE, ET COMMVNICATIONE  
IDIOMATVM.

Th. I.

*Formale unionis personalis*, quam optime videtur poni, in *exhibitione mutua*, & maxime *reali utriusque Christi nature*, quæ tamen sic est comparata, ut *sola divina natura* se exhibeat *active*, *humana* vero *natura* *passive* & *subjective*; nam quicumque illud formale quærunt vel in *συνερχωμένης* sive in *permanfione mutua*, vel etiam in *communione*, illi consequens permutant, cum antecedente, atque hæc ipsa *unio* a Theologis dicitur *adequata*, & non confundenda est, cum *exequatione naturarum*, a qua *Ecclesia nostra* quam maxime abhorret. Nam *adequatio hæc est personalis*. Conceditur quidem, *divinam naturam*, in se spectatam (in ordine agendi) infinitis modis excedere *humanam*, sed negatur *relate*, & in *unione*, qua *actum personalem* loquendo, *divinam naturam* sic excedere *humanam*, ut *unio* propterea non sit *totalis*.

2. Pro-



2. *Profectus* competunt animæ Christi, in statu exinanitionis non minus, quam corpori Christi.

3. *Caro Christi*, nullo sensu proprio, & in Ecclesia admittendo, dici potest, *de caelo venisse*, etsi concretive recte ex Jo. VI. dicatur: *Christum de caelo descendisse*.

*Theses*

DE STATU EXINANITIONIS ET EXALTATIONIS.

Th. I.

Circa controversiam Tubingensium, cum Giessensibus, de statu exinanitionis, tria sunt notanda:

1. Tubingenses, actum Christi personalem, utriusque naturæ communem, extendisse in præjudicium status exinanitionis,
  2. eosdem considerationem officiorum Christi, immiscuisse in doctrinam de ejusdem statibus; quando enim de officiis redemptoris agitur, prædicata officialia, vel ἀποτελέσματα formaliter tribuuntur utrique naturæ, quod in doctrina statuum fieri non potest.
  3. Tubingenses, ex nimio studio retinendi tropum τωιδείας Joan. Brentii, & Jac. Andreae, multa fecisse non probanda, durioresque se gessisse.
2. In doctrina de Conceptione Christi, ruitissime proceditur, si abstinenceatur, a controversia de Massa, ex qua corpus Christi formatum sit; hoc enim pacto superfedere possumus, vexatis libris de præservatione a peccato, vel purificatione hujus masse.

Cum

Cum enim etiam *ordinaria hominis conceptio sit mysterium physicum, & massa aliqua præexistens, ex qua corpus Embrionis sic fiat, ut eadem crescat massa & augeatur, ostendi non possit, longe rectius de extraordinaria Christi conceptione dici potest, quod sit mysterium maximum, ita ut Christi corpus vere quidem sit a corpore Mariæ, non autem necessario ex massa præexistente, vel ex particula Mariæ separata, Christi corpus formatum atque auctum fuisse.*

3. In doctrina de Ascensione Christi, diligenter distinguendum inter ascensionis phenomenon, quod constituit locali in motu corporis Christi, usque ad nubem; atque inter mysterium ascensionis, quod comprehendere non potest; estque translatio Christi, qua humanam naturam a monte Oliveti ad cœlestis gloriæ & conversationis, juxta præsentiam conspicabilem.

*Theses*

DE OFFICIIS CHRISTI.

Th. I.

Ut officia Christi plenius cognoscantur, sequentia notare præstat,

- a. *Officio Sacerdotali, quod de se ac strictè accedendum, activum est, adhæret passivum quasi officium, quod nimirum Christus sit ipsa hostia, sacerdotaliter oblata.*
- b. *Ad officium Christi propheticum pertinent tanquam ejus quasi species, quod Christus sit testis*  
*supre-*



supremus, Apocal. I, 5. *Apostolus primarius,*  
Ebr. III, 1. *Lux totius generis humani.* Ef. IX. 1.  
Luc. II, 32.

c. Ad *regium officium* pertinent duæ quasi species,  
nempe

1. quod *Christus sit dux ἀρχηγός belli spiritualis,*  
heroico imperio, nos ad *militiam sacram* dedu-  
cens; nec non

2. quod *sit iudex, a Patre destinatus.*

d. ἀνάλογα officii Christi sunt, quod sit

1. *Goël, vel Vindex.*

2. *Quod sit sponsus nostræ animæ,*

3. *quod sit medicus spiritualis.*

2. Ardua quæstio: *Num tria officia Christi, an-  
tiquiora sint, ejus incarnatione, adeo ut iam in V.  
T. Rex & Propheta credentium fuerit? num ab  
æterno sacerdos extiterit? Et hic affirmando re-  
spondent multi Theologorum, cum primis Feuer-  
bornius; alii vero, ad negantem sententiam se con-  
ferunt maxime; quia Fanatici affirmativa ista opi-  
nionem abutuntur in præjudicium veræ incarnatio-  
nis Christi. Respondemus: diligenter hic distin-  
guendum esse, inter valorem, fructumque, atque in-  
ter actum & formam officiorum Christi: Prius  
sane antecedit incarnationem Christi, & suo modo  
æternum, aut saltem ejusdem ætatis, cum Ecclesia,  
(scil. post paradisiacam,) dici potest: Posterius  
vero supponit incarnationem & includit. Λόγος  
quidem ut λόγος, qua materialia, id ipsum, etiam  
ante incarnationem præstitit, quod per officium  
regium,*

*regium, & propheticum*, post incarnationem præstat, ceteris paribus: Sed propterea nihil decedit *regio & propheticum muneri*, quod & ratione subiecti *εὑρανης*, & ratione circumstantiarum, uberrimorumque donorum (quæ accedunt) *singulare*, omnino *novum*. Rectissime agunt Theologi isti, qui inter officia Christi, *sacerdotale* primo loco ponunt, simulque docent, illud ipsum *fundamentum esse ceterorum officiorum*; itaque *Confessio sacerdotalis officii*, est *tessera vera Ecclesie & Orthodoxe*. Nam *Naturalistæ*, & qui ad *Naturalissimum* inclinant, admittunt equidem *propheticum officium*, quod *doctrina, & exemplo* præstitit; similiter *Fanatici*, & qui ad *Fanaticissimum* inclinant, non oppugnabunt *officium regium Christi*, qui potius eodem abutuntur, contra *fundamentum & media salutis*.

*Theses*

DE SATISFACTIONE, MERITO, ET REDEMPTIONE CHRISTI.

Th. I.

Propter *controversias nostrorum temporum*, & *ingruentem Fanaticissimum*, notari maxime debet, quod *redemptio Christi*, proprie, accurate, & strictè sic dicta, tam *biblico*, quam *ecclesiastico sensu & usu*, nihil aliud sit, quam *fundamentum salutis*, ex *parte mediatoris obtentum, vel acquisitum*, adeoque male dicitur, quod *redemptio fiat in nobis*, quod *fiat in solis piis*, quo pacto, *fundamentum & ordo salu-*



salutis confunduntur; quamvis enim quædam vocabula biblica v. g. ἐλευθερώω, ἀπολύω, liberare, eripere, juvare, haud raro in sacris literis de negotio salutis nostræ sic adhibeantur, ut ordinem salvandi, sive actus τακτικῆς includant; Tamen & in his ipsis locutionibus, fundamentum salutis semper supponitur atque de cetero voces הללך פדה לוצרֶוֹ, semper solum salutis fundamentum designant, & vox σώζειν raro actus τακτικῆς includit, quoties nempe, materia substrata, & verborum connexio illud poscit.

2. Cum multæ sint Adversariorum fraudes, adversus univ[er]sale Christi meritum, diligenter respiciendum est, ad ipsorum verba. Quidam enim cum Coccejo affirmant, Christum natum esse omnium bono, negant verò, id factum esse omnium loco: Quidam cum Joanne Claudio docent, Christum natum esse, pro omnibus in genere, sed non pro singulis; mortuum esse etiam pro reprobis, verum non sensu obtinendi, sed sensu obligandi. Quidam cum Amyraldo dicunt: Christum mortuum esse pro omnibus, sed sub mera conditione, quæ nihil ponit in re. Quidam Christum mortuum esse statuunt pro omnibus & singulis, sed saltem respectu peccati originis. Quidam denique concedunt Christum mortuum esse, pro omnibus & singulis personis, atque peccatis, sed saltem remote, & potentialiter, non proxime & actualiter.

3. Redemptio nostra non est absoluta, sed ordinata; quæ Observatio innumeras Calvinianorum tricas, solvit.

*Theses*

## Theses

DE CHARISMATIBVS IN GENERE ET  
IN SPECIE.

## Th. I.

*Charismata* interdum *μονοπλευρῶς* accipiuntur pro mero *nisu*, & studio hominem *gratiosè* iuvandi ex parte *Dei*; interdum vero *διπλευρῶς*, ita, ut præter illud studium, laboremque *divinum*, simul effectum ab homine receptum designent; quæ posterior vocis usurpatio ordinaria est. Nonnumquam etiam *charismata* accipiuntur pro studio & labore *Spiritus sancti*.

2. *Vocatio*, per famam, de *Christo* ejusque verbo, & *Ecclesia*, nec non per reliquias verbi revelati, pertinet ad vocationem strictè dictam & gratiosam, tanquam dispositio & gradus ad eandem.

3. *Vocatio* non est absolute universalis, sed ordinate, hoc videlicet ordine: 1. Nemo est hominum, versus quem *nisu* & studium, gratiæ non rendat, in sensu vocationis laxo, quæ pedagogica etiam includit. 2. Nulla gens est, & societas, ad quam non pervenerint fama, & aliqua verbi reliquie, sive ut stylo *Scripturæ* utamur, verbi sonus. 3. Nemo est, qui non aliquo labore impenso, audire possit, ipsa verbi *divini* εἰματα. Itaque tres quasi gradus agnoscimus, quorum primus applicatus ad individua humana singula, semper est actualis; secundus ut plurimum est actualis, semper autem potentialis, & quidem in potentia proxima; tertius semper est potentialis, etsi non in  
poten-



potentia proxima, tamen in *satis propinqua*. Ceterum gradus ille primus iustissime dispensatur, neminique denegatur, nec secundus & tertius, imo, ne quidem *eorum oblatio*, nisi quidam se, per *malitiosam resistantiam*, etiam primi gradus expertes, adeoque indignos fecerint.

*Theses*

DE CONVERSIONE.

Th. I.

Cum doctrina, de *conversione* multis sit ambiguitatibus obnoxia, opera dari debet, ut, iisdem superatis, bonus atque constans *τρόπος παιδείας* constituatur, quod sequenti modo fieri potest: primo, *discernenda est conversio, a vocatione*, ita videlicet, ut ad vocationem nil referatur, præter *meram oblationem gratiæ*, spectatam in ipso primo appulsu, qui tamen repeti sæpius potest: *Conversio* autem complectatur *illas operationes gratiæ effectusque ejusdem*, qui sequuntur, quales effectus sunt: 1. *Sensus verbi plenus*, & in sua *ἀναλογία* spectatus. 2. *Affensus verbo exhibitus*, 3. *sensus iræ divinæ*, & dolor de peccatis 4. *desiderium gratiæ* & sic porro. Secundo *discernenda est conversio a regeneratione*, sequenti pacto: *Conversio* est *ipla lucta Spiritus Sancti, cum intellectu & voluntate, resistantibus*, ad *fidei vincentis generationem tendens*, adeoque *successive fieri solet*. *Regeneratio* autem est *conversionis complementum, sive ipse fidei salvificæ ortus*; atque hinc a Theologis mo-

F

men-

*mentanea, & indivisibilis dicitur. Veteres Theologi sæpe conversionem accipiunt late, ut includat ipsum complementum, vel regenerationem; aliquando autem strictius accipitur, & a regeneratione distinguitur, atque tum appellatur preparatio vel actus gratiæ preparans. Consultissimum est, propter stilum biblicum, conversionem accipere pro charismate latiore, sub quo complectatur preparatio, & regeneratio.*

2. *Gratia congrua conversionis, quam Jesuitæ fingunt, quæque Samueli Strimesio, mire placuit, parum abest a gratia absoluta verticordia Calvinianorum. Etsi enim in sensu gratiæ concomitantis, conversionem comitentur variæ circumstantiæ favorabiles; illæ tamen non essentialiter, & per se, sed per accidens coherent cum Conversione.*

3. *Disputatum est, inter Cameronem & Spanhemium: num conversio immediate operetur in voluntatem, an vero mediante intellectu? quorum prius affirmabat Spanhemius, posterius placuit Cameroni; imo is ipse confirmavit, gratiam convertentem in solum intellectum operari, qui deinceps agat in voluntatem: sed neutra harum sententiarum recipi potest. Nam gratia convertens agit in voluntatem & intellectum simul, in hunc modum, in illam non nisi per verbum intellectum, non vero per nostrum intellectum.*

*Theses*



*Theses*

DE REGENERATIONE.

Th. I.

Rectissime docent Theologi illi, qui regenerationem accurate biblicè sic dictam, negant, successive fieri, sed ratione temporis non nisi unum eundemque instantem, & quasi momentaneum actum regenerationis admittunt; quod fieri dicunt, propter nexum ordinis salutaris, cum fundamento salutis, quatenus obtinetur. Nam ordo, & fundamentum salutis, in uno puncto coherent. Cavendum tamen est, ne sub pretextu momentaneæ regenerationis, successiones charismatum negentur, statuaturque, omnia, quæ ad verum Christianismum spectant, in momento, fieri, quæ sententia sic dicto Enthusiasmo subtilissimo proxima est.

2. Tres sunt actus formales regenerationis 1. est collatio virium, salvifice credendi, id est, fidei, in actu primo. 2. Secundus actus est excitatio fidei salvificæ, sive collatio ejusdem in actu secundo.

3. Actus est receptio Christi, speciatim ejus satisfactionis, & meriti, sive in respectu ad fundamentum salutis. Sed præter ea dantur quidam actus regenerationis vitales & *ὀρθόδομοι*, nempe

1. Collatio Spiritus firmi & stabilis.

2. Victoria nostri & mundi, vere & sincere inchoata.

3. Effusio Spiritus Sancti, donorumque sanctificationum; & hi actus fidei sunt sensiles.

Totum etiam regenerationis negotium rectius intelligetur, si hoc unum notes: *in regeneratione hominem fieri subiectum ἀλόγον gratiæ.*

3. Etsi excusari possit illorum sententia, qui docent, *in regeneratione aliquid in nobis gigni, vel nempe Christum internum, vel novam indolem spirituales &c.*; Rectius tamen docetur, nos ipsos *spiritualiter gigni in regeneratione, nempe sensu antithetico, quia vivificatio spiritualis, quæ fit in regeneratione, opposita est rationi nostræ naturali; notari etiam debet, quod alioquin, sed rarius, in sacris literis, regeneratio latius accipiatur, & quidem tribus casibus; α. quando Ecclesia dicitur nos gignere β. quando id de Ministerio Ecclesiastico dicitur, Gal. IV, 19. 1. Cor. IV, 15. γ. quando ad magnum opus πάλυγγενεσίας respicitur, Matth. XIX, 28.*

*Theses*

DE IUSTIFICATIONE.

Th. I.

*Puritas articuli de Justificatione, maximo studio est conservanda; itaque quicquid habet rationem boni operis, nullo pacto in illum articulum introduci debet, neque ut merito aliquo præditum, nec ut præsens actu secundo, imo ne quidem actu primo. Nam si discrimen inter fundamentum salutis, & ordinem gratiæ, recte capiatur, neminem hæc offendent, cum articulus de Justificatione*



ficatione, solum fundamentum describat; imo ipsa etiam noviter excogitata distinctio, inter fidem solam & solitariam, habetur pro inutili. (Fides justificat, non quatenus nostra est, sed quatenus Christus noster est, per illam.)

2. Non est divellenda reconciliatio, vel remissio peccatorum, a Justificatione, ut illæ habeantur pro imperfectioribus, hæc pro perfectiori; quod olim faciebant Majorista, hodie Vlackerius, aliique. Neque admittenda est duplex Justificatio, (coram Deo,) vel sensu pontificio, vel Coccejano, quia his admittis, fundamentum prorsus confunditur, cum ordine. (vid. Fortgesetzte Sammlung 1721. p. 1017.)

3. Actus Justificationis nostræ, non est successivus, nec qua formam suam, aut intrinsecam rationem admittit successionem; Status autem justificationis, successionis est capax; & huc pertinet mundatio fidelium & venatorum quotidiana, quæ non solum est continuatio status justificationis, & valoris justifi-  
fici, sed etiam iterata ejus applicatio, ad peccata venialia, per quotidianam penitentiam agnita. Non confundenda præterea confirmatio, cum justificatione graduale & successiva, etsi in confirmatione, tenor justificationis, solet quasi repeti.

Theses

DE VNIONE MYSTICA.

Th. I.

Ut evitentur confusiones, quæ in doctrina de unione mystica, frequentissimæ sunt, utile est distin-

F 3

stin-

stinguere, inter unionem justificationis, inhabitationis, & incorporationis. Unio iustifica, ad quam Lutherus maxime respexit, cum primis in Commentario super Epistolam ad Galatas, consistit

1. in apprehensione fidei.

2. in decreto Dei iustifico, per quod Christus, unum quid nobiscum sit, ad satisfactionem & expiationem, & nos cum illo ad iustitiam atque meritum; utrumque vero applicative; nam hic supponitur decretum redemptionis, vi cuius Christus unum quid est cum toto genere humano, ratione acquisitionis, salva applicatione futura.

2. Unio inhabitativa pertinet ad articulum renovationis, & si accurate velimus secare scripturam, non tam ad initium, quam progressus renovationis spectat, ut adeo tres quasi gradus hic sint capiendi:

a. Accessus, vel appropriatio Dei inhabitantis, (unionem inchoate fundans.)

β. constans & perdurans inhabitatio (unionem promovens,)

γ. arctissima confirmatorum, cum Deo, conjunctio.

Phrasis S. S. huc pertinens præcipua est: Nos fieri unum Spiritum cum Domino, non confusione, sed unionem substantiarum, nec transmutatione, aut absorptione naturarum vel personarum.

3. Unio incorporationis pertinet ad Articulum de Ecclesia, sedemque ac fundamentum præcipuum Ephes. V, 29. seqq. habet. Hæc vero in eo consistit, quod, cum Ecclesia invisibilis, (sensu veris.



verissimo, mystico tamen,) sit corpus Christi, in regno gratiæ se exerentis, quilibet fidelis sit portio, vel membrum hujus corporis, adeoque *aliquid Christi*, sano sensu. Phrasis S. S. præcipua huc pertinens est: *Nos esse membra Christi, de carne & osse ipsius*. Huc quoque spectant Commissuræ (Juncturæ) illæ, per quas *corpus Christi, cum capite* interius conjungitur. Ephes. IV, 16. Hic quoque non est *comitenda incorporatio*, *latius & analogice* sic dicta, vi *cujus omnia Eccl. visibilis membra*, quodammodo sunt *membra corporis Christi*, nempe *exterioris*, idque *beneficio vocationis & præparationis*, quamdiu ad *Ecclesiam visibilem* vere pertinent.

*Theses*

DE RENOVATIONE.

Th. I.

Hic cum primis notandum est, quod non quælibet *novitas spiritualis*, sit *renovationis* strictæ accurateque sic dictæ, h. e. illius, quæ tanquam *peculiare Charisma*, justificationem sequitur: Non enim huc pertinet *novitas bonorum motuum*, quippe quæ referenda est, ad *articulum conversionis & præparationis*; Neque *novitas radicis spiritualis bonæ*, sive *novæ creaturæ*, de qua agendum in *doctrina regenerationis*: sed *novitas est, bonarum actionum, & habituum ipsi homini active & cooperative jam competentium*.

2. *Perfectio inhaesiva hominis renovati*, quam ipsi S. S. attribuit, non est quantitatis; non mensuræ, sed *indolis*, & *naturæ bonæ quasi spiritualis*; unde ad *impletionem legis* nullo modo est referenda.

3. *Doctrina, de Confirmatione & Ob signatione Spirituali*, nondum videtur satis diligenter exculta, & quantum intelligo, bene ageretur, si *τεόςπος πωδείας* sic institueretur: *Confirmatio est charissima particulare ad renovationem pertinens, actusque internus, & quasi physicus, quo boni habitus complentur & stabiliuntur in homine.* Hanc sequitur *ob signatio*, quæ videtur esse *actus forensis*, vel saltem *consecrarium actus forensis*, nimirum *justificationis*, per quod homo, *extra quotidianam facilitatem labendi, & periculum salutis propinquum*, ponitur; quo pacto eo feliciter convinci poterunt *Pontificii atque Fanatici, justificationem secundam nobis objicientes*, cui colores aliquos conciliant, *facta confusione ob signationis, cum sua secunda justificatione.* Diligenter igitur notetur:

1. Per hanc *ob signationem*, nec novum salutis fundamentum poni, aut illud etiam ampliari, sed saltem ad periculum perdendæ gratiæ respici.
2. Cum *ob signatione* conjungi *phenomena quedam spiritualia specialia, quæ sensibilia sunt v. c. Testimonium Spiritus Sancti, & hæc potius sunt physica, quam forensia.*

*Theses*



*Theses*

DE MEDIIS ET SVBIDIIS NOSTRAE  
SALVTIS.

Th. I.

De *mediorum salutis existentia* videtur aliquando potissimam controversiam futuram esse; postquam per *Fanaticorum & Naturalistarum conso- ciationem*, periculum amittendi ipsa salutis media, quotidie accrescit; Itaque *præparandi sunt verbi divini præcones*, ut parati inveniantur, ad *existentiam mediorem salutis demonstrandam*, quod optime videtur fieri posse, sequenti pacto:

- a. Ostendatur, *verbum prædicatum*, nec non *Baptismum*, & *fidem* speciatim habere *virtutem salvandi organicam*, adeoque *media salutis esse*; unde facile colligitur, dari *media salutis*.
- β. Ostendatur, *Deum non immediate in negotio salutis nobiscum agere*, quia extra media spectatus, est *lux inaccessibilis*, 1. Tim. VI, 16. ipsa *revelatio divina*, & *fides* essent *frustraneæ*, si *Deus non mediate salutem nostram procuraret*.
- γ. Cum primis inculcetur: Oraculum ad Ephes. IV, 16. in quo *αὐτὰς νοὺς ἐπιχορηγῶν*, nihil aliud esse, quam *media salutis*.
2. Magnopere necessarium est *discrimen*, inter *media salutis*, & *subsidia*. Nam sub nomine *medii* proprie, accurateque sic dicti (est autem illa vox semper sic adhibenda,) *causa* intelligitur *subordinata*, *effectum*, in suo ordine, *vere producentis*, *virtute Dei propria*, & *ad effectum proportionata*;

nata; h. e. *causa media*: *Subsidium* vero, non habet rationem causæ nec præditum est virtute, cauſandi proportionata, sed *extrinsecus aliquod confert*, non ad ipsum effectum salutarem, sed ad *res cum illo connexas*, qualia salutis subsidia sunt ECCLESIA, CRUX, & TENTATIO, ORATIO, POENITENTIA QVOTIDIANA &c.

3. Diligenter conservanda est theſis ſequens: *Quod mediis salutis, eorumque efficaciæ resisti possit*, quam olim præfracte impugnarunt Calviniani.

### Theſes

## DE MEDIIS SALVTIS, IN SPECIE, NEMPE DE VERBO LEGIS ET EVANGELII.

### Th. I.

Jubent rationes quam plurimæ & fonticæ, ut qui *profectus studii theologici appetunt*, cumprimis diligenter, recteque distinguant, *inter verbum in nuda ac mera intentione spectatum*, atque *inter idem verbum, consideratum in sua praxi & operatione*. In priori consideratione, videtur verbum Dei non esse simpliciter dividendum, *in legem & evangelium*, sed potius *in verbum fundamenti & ordinis salutaris*, ita, ut *verbum fundamenti*, sit mere evangelicum, sive oblativum mediatoris & gratiæ; *Verbum autem ordinis* sit compositum (sive mixtum) *ex lege & evangelio*; verum sic, ut *Evangelium*, primam, & potiorem partem ejus, conficiat.



ficiat. Quando autem ad *secundam* considerationem nempe *praxeos* & *operationis* respicitur, tum sufficit discrimen, inter *Legem* & *Evangelium*.

2. *Sensus legis*, proprie, accurate, & plene sic dictus, qui & *Spiritus legis* dicitur, non est abfolutus, sed *respectivus*, & *economicus*; nempe sic, ut serviat *gratie evangelicae* coordinate, in *preparatione*, & *conversione*; subordinate autem in *renovatione*; h. e. ut in *ordine salutis* serviat, hæc enim est *vera Dei intentio*, legem post lapsum enunciantis.

3. Valde utilis est *distinctio*, inter *opus legis*, & *verbum legis*. Nam *dictamen conscientie* accurate & *biblice loquendo*, non est *verbum*, sed *opus legis*, ut Paulus vocat *ἔργον τῆ νόμου*.

4. *Verbum* itaque *legis* est illud, quod Deus homini revelavit, quodque adeo est *vis divina*, multasque laudes meretur, atque in S. S. commendatur, sed *in suo ordine*.

*Theses*

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Th. I.

Quando de *Sacramentis* quaeritur: *Annon fructus salutares* producant, *ex opere operato*, an vero *ex opere operantis*? rectius a responsione ad quaestionem sic firmatam abstinetur; etsi enim utrumque aliquo pacto excusari possit, sive *operi operato*, sive *opcri operantis* fructus illi adscribantur, & *speciatim* priorem phrasin hodie Theologi quidam

dam defendant: tamen quia primo periculum & scandalum utrinque est metuendum, secundo autem *fructus salutares Sacramentorum sint ex institutione Dei, vel virtute intrinseca, atque in hypozest, ex apprehensione veræ fidei*; hinc manifestum est, *operi proprie sic dicto, nihil hic esse adscribendum. Galat. III, 27.*

2. De *ὀνόματι Sacramentorum generali, summa cum cautione loquendum est, eademque non formanda est, a priori, (nam sic facilius impingitur, quam dici potest) verum a posteriori, adeoque lento quasi incessu, & per gradus: Ex analogia sacramentali, quando affirmatur, in quolibet Sacramento dari rem cælestem, eandem semper esse aliquid mediatoris, cum grano salis, hoc est accipiendum.*

3. Non largimur *Beze, & ceteris Calvinianis, in Sacramentis non plus dari, vel exhiberi, quam in verbo: etsi enim respectu efficaciam generalis hoc concedi possit; tamen certum est, Sacramenta N. T. dare Christum, qua substantiam, ut pignus, & angustissimum organon nostræ salutis; qua ratione in verbo non datur; unde Sacramenta magis quoque faciunt ad obsignationem. Tutissime autem pronunciat: Sacramenta plus dare, quam verbum, non tamen ratione Dei, quam ratione mediatoris, & nostri.*

4. *Sacramenta V. T. habuerunt, exhibueruntque Christum, non qua substantiam, sed 1. qua efficaciam, & 2. qua typicam obsignationem; unde*  
*res*



*res celestis illorum est efficacia Christi, quatenus typice obfignata est, & eatenus differt, a fructu eorumdem Sacramentorum. Nam Sacramenta V. T. fuere*

*α. Typi singulares, & sigilliferi, sive obfignatorii meri typi.*

*β. Media exhibitiva, speciatim, si ad circumcissionem accedamus, res ejus terrestris, non dici potest, præputium, vel etiam sanguis effusus, vel denique character per circumcissionem, in carne formatus: sed distingui hic debet typica obfignatio, quæ per abscissionem præputii, cum effusione sanguinis, & per characterem in carne, facta est, ab ipsa exhibitione, cujus materia terrestris, videtur fuisse manus sacerdotis, cum cultro, ad circumcidendum applicata; Res celestis autem est efficacia venturi redemptoris, sub legis dominio, tempore V. T. per actiones sacerdotales, vere se exerens.*

*Theses*

DE BAPTISMO:

Th. I.

*Cum baptismus non solum lavacrum regenerationis sit, sed & renovationis: certum est, renovationis initium, in ipso jamjam Baptismo fieri, sed eo modo, qui infantum conditionem decet, nobis vero incompertus est. Facebant itaque Novatores, qui cum Rosenbachio, omnes pietatis fructus bapti-*

baptizatis infantibus denegant, indeque omnem etiam Spiritus S. operationem, ipsis adimunt.

2. Cum in sacris literis *Rhantismus* & *Baptismus* distingui soleant, (nimirum *aspergio* & *ablutio*) opera danda est illis, qui *Ecclesiam* regunt, atque in eadem docent, ut in actione baptismi, mera *aspergio* evitetur, veraque aque affusio fiat maxime, super caput infantis, propter *typum Apostolicum veteris Adami*, sub aquam mergendi. Itaque *immersio* etiam in *Ecclesia orientali*, constanter retenta est; in *occidentali* vero, multis etiam *seculis* viguit: donec, re christiana, versus septentrionem propagata, *immersio infantum* multis periculosa videretur. Itaque *Galli initium* fecerunt, *mere affusionis*, quos *Germani, Italique* secuti sunt; *Angli* vero, usque ad *Reginam Elisabetham*, submersionem conservarunt; quæ etsi non sit necessaria, tamen pro *laudabili cerimonia* merito habetur, quam *εὐταξίαν* in *Ecclesiam* reduci, optandum foret.

3. Quæsitum est sub finem seculi XVI. inter *Theologos Helmstadienses*: *num* *infantes baptizati* omnes *vere regenerarentur*, atque adeo si paulo post baptismum obeant, certo omnes salvarentur? ubi quidem affirmantes (*Bas. Sattlerus*) provocabant ad maxime favorabilem *Baptismi institutionem*, & *verba cum primis Christi*: *nolle se, ut quisquam parvulorum intereat*. Matth. XVIII. Nec non, ad *certam operationem Spiritus S.* in infantibus. Negantes autem urgebant *errorem operis*



*operis operati* ista affirmatione confirmari, neque certos nos esse posse, quod infantes nullo modo repugnent; At enim vero, si *repudiata formula operis operati*, res omnis ad *institutionis favorem* reducat, tum quoque abundans Dei *Philanthropia*, & sublevatio humanæ imbecillitatis, consideretur; rectius affirmans sententia recipitur: salva tamen Dei *καρδιότητα*, & *incompertis Dei judiciis*, ex quibus vero, contra comperta, argumentari non licet. (vid. *Unschuldige Nachrichten* de anno 1705. p. 137.)

*Theses*

DE SACRA COENA.

Th. I.

*Materia cœlestis sacra cœna*, nihil aliud est, quam *corpus & sanguis Mediatoris*; quare nec *divinitas Christi*, nec *Sacrosancta Trinitas*, ne quidem sensu mediato, hujus Sacramenti materia cœlestis dici potest. Excusari autem possunt, qui contrarium statuunt, si per τὸ *mediate & consequenter* respiciant ad *fructum*, qui mediante cœna datur, eandemque consequitur; Nam certum est, *mediante carne & sanguine Mediatoris, Christi divinitatem, ipsamque sanctissimam Trinitatem nobis offerri, sed sub ratione fructus ex quo possidemus S. S. Trinitatem.* (vid. *Theol. Rottochiensium gründliche Belehrung* de hac re. D. Wernsdorffii *Controvers. de S. Cœna* p. 32. D. Schwarzmann *System*. p. 329. D. Weikhmanni *sen. Morale* gene

gen Stern p. 395. D. Günthers Vertheidigung p. 538. D. Speners Catechismus p. 667. D. Hoffmanns Catechismus p. 269. & ipsius B. D. Lesccheri Schwenckfeldismus §. 10.)

2. Etsi Theologi nostrates *representationem fractionis Christi dolorificæ, & mediatoriæ*, in Sacra Cæna non admittant; tamen nequaquam negant, in hoc Sacramento, non minus, ac in Baptismo, dari *imagines asceticas*, velut ad *edificationem facientes*, ad quas etiam pertinet *fractio*, vel *rectius, distributio ejusdem panis*, indicans *consociationem spirituales*, in *novo Christi corpore*, atque ad illam promovendam excitans, illæ autem imagines, tantum abest, ut ad *summam Sacramenti* pertineant, ut potius sint *saltem accessorie*.

3. Videntur dissentire nostrates Theologi, in solvenda questione: *Num Calviniani habeant veram Sacram Cenam, verumque Christi corpus accipiant, quantumvis illi contrarium credant?* Nam Theologi quidam non ultimi commatis, affirmando respondent: videtur autem *rectius agi*, si negotium hoc *dijudicetur*, non ex fide unius alteriusque hominis privati, sed *ex fide & professione totius Ecclesie Calvinianæ*, quia sunt *Sacramenta Ecclesie & Ministerii*. Cum igitur certum sit: *Confessiones Calvinianorum de Sacra Cæna, sic esse adornatas*, ut *institutionem Christi*, qua materiam celestem, deperdant, indeque sequatur Ecclesiam Calvinianam *institutionem Servatoris in parte essentiali hujus Sacramenti potissima non acceperat*;  
clarum



clarum equidem est, illam Ecclesiam veram non habere cœnam. (De hac re conferri merentur Libri Symb. ex edit. Reineccii p. 1022. D. Hülsemannus in Breviario p. m. 827. D. Fechtius in Lect. in Syllog. p. 430. Dn. Dedekenn. in Consil. Tom. I. p. 543. D. Weismann in Instit. p. 932. & Bornius in der Schatz-Kammer T. I. p. 173. itemque Dn. Theolog. Vitemberg. im Beweis, contra Reformat. p. 965. 971.)

## Theses

## DE FIDE.

## Th. I.

*Doctrina de fide mortua*, nondum satis est digesta, atque sufficienter elaborata, ut periculum sit, ne vel ex hac ipsa, exulceratis his temporibus, mala quædam ecclesiastica prodeant. Pauca quædam, quæ necessaria videntur, monebimus.

Principio quidem, sicut *fides viva* dupliciter accipi solet, vel *in sensu fundamenti*, vel *in sensu ordinis salutari*; ita jure oppositorum, fides mortua, consimiliter duplici significatione pollet. In *sensu fundamenti*, *fides mortua hæc est, quæ Christum non habet, quæque nullo modo est bona*, quando autem, ad ordinem salutis respicitur, fides mortua dupliciter accipi potest, vel respiciendo *ad posteriora ordinis*, & sic fides, quæ antea viva erat, fit mortua, *propter impietatem*, etsi idcirco non omnis bonitas ipsi denegetur: quando autem respicitur *ad priora ordinis*, fides mortua vocatur,

G

quæ

quæ habet quidem *initia vitalia*, notitiam, & assensum, nondum autem habet Christum, sive *vitam spirituales*; deinceps quando de fide mortua, *in sensu ordinis salutaris*, agitur, *vel respicitur ad totum, vel ad partes*, sive rectius *ad gradus fidei*. Totum etiam si mortuum recte dicatur, non tamen inde sequitur, *partes initiales, vel gradus priores esse mortuos*, quin potius ex illis, si accedat saltem fiducialis apprehensio, exoritur *viva fides*.

2. *Fides justificat, nec quatenus practica est, nec in sua praxi spectata; imo praxis fidei, in Articulum Justificationis non ingreditur, ingreditur autem in Articulum regenerationis, & renovationis.*

3. *In materia fidei diligenter est distinguendum, inter apprehensionem Christi (annehmen,) & receptionem inhabitationis (einnehmen) utraque spectat ad latitudinem fidei, sed prior solum constituit fidem in debita & accurata sua rectitudine consideratam.*

### *Theses*

#### DE BONIS OPERIBVS.

##### Th. I.

*Et si credentes, piique homines, in sacris literis perfecti nominentur, videlicet perfectione, non quantitatis, sed qualitatis; tamen nullibi, quod sciam, legitur, bona opera ipsorum esse perfecta, ut potius contrarium affirmetur; et si enim excu-*  
sari



fari possit hæc formula: *bona opera esse perfecta*; visum tamen est Spiritui Sancto, ab usum hujus phraseos, qui proximus erat, & facillimus, evitare.

2. *Distinctio, inter opera legalia & evangelica*, valde est intricata, & ad ferendas fovendasque litteras apta, nataque. His giture vitandis, sequentem in modum, adornari poterit:

- a. *Qualibet bona opera, in sensu normæ, juxta quam fieri debent, sunt manentque, semper legalia.*
- β. Interea tamen, quia ad *formam* quoque *theologicam* B. O. est respiciendum, solent illa B. O. quæ ex fide, liberoque animi regenti motu prodeunt, vocari *evangelica*, itemque *opera Spiritus*: cetera autem appellantur *opera legis*.
- γ. Sed hæc appellatio maxime, qua posterius membrum, e stylo biblico, non est hausta, & cum eodem non omnino quadrat.
- δ. *Bona Opera tyronum Christianismi*, sed vere tamen regentorum sunt quidem *evangelica*, etsi, *opera legalia*, speciatim vocantur ea, *que lex minis, penis, & premiis extorquet.*
- ε. *Opera evangelica* sic nominantur, non sensu exclusivo, ac si non fierent juxta legem, sed *sensu cumulativo*, quia præter *normam & formam legalem*, illis accedit *forma evangelica*.
- ζ. Ex his explicandus est locus Formulæ Concordiæ p. 722. vel 1007. seqq.

3. *Bona Opera non sunt partes nostræ salutis, nec ullo modo ad salutem quid conferunt; sunt tamen partes ordinis, qui salvandis præscriptus est; itemque parte: felicitatis istius, generatim sic dictæ, quæ Christianis competit.*

*Theses*

DE TESTAMENTIS VTRISQVE.

Th. I.

Hic discrimen cumprimis inter *fœdus* & *testamentum* observari debet. (inter *διαθήκην* & *συνθήκην*.) Nam *fœdus* ex sua natura, *bilaterale* est, & ex utraque parte, *prestationem aliquam* supponit, quamvis illa, una ex parte esse possit *mere passiva*; (quod vocant *fœdus μονοπλευρόν*;) *testamentum* vero proprie loquendo est *uni laterale*, vel est *dispositio Benefactoris, de dono, morte ob-signato*. Itaque *fœdus Dei*, aliud est *legale*, quod per lapsum hominis expiravit, aliud *evangelicum*, quod per universam Ecclesiam V. & N. T. durat. *Testamentum* vero *duplex est*, *vetus* & *novum*; quorum illud *bona testamentaria*, in statu difficiliore, & *sine substantia Redemptoris*, contulit, hoc vero eadem bona tradit, in statu faciliore, & *cum substantia Redemptoris*. *Fœdus gratiæ versatur circa interna*, & *substantialia ordinis salutiferi*, non minus ac *circa ipsum salutis fundamentum*; *Testamenta autem versantur, circa exteriora*, & *accidentalibus ejusdem ordinis*.



2. In veteri testamento, præter alias insignes ejusdem Testamenti, a novo, diversitates, non datur corpus, aut sanguis Christi, tanquam medium salutis, quod *Beza*, pluresque alii Calviniani affirmant; qui hæc etiam in parte, saltem *graduum discrimen*, inter utrumque Testamentum agnoscunt. Provocamus ad Oraculum Coll. II, 17.

3. Diligenter est distinguendum, inter *vitam*, *agonem*, & *mortem* *cerimoniarum Leviticarum*; *Vita* duravit, usque ad *Christi mortem*: *Agon*, a *morte Christi*, usque ad *plenariam Evangelii promulgationem* extenditur. (hinc *Timotheus* mandato Pauli circumciditur.) Hæc vero facta seu absoluta, mors *cerimoniarum* istarum evenit, & post illam, non solum sunt *mortuæ*, prorsusque *abrogatæ*, verum etiam *mortiferæ*. Consimiliter de *origine earundem cerimoniarum* dici potest, quod distinguendum, inter *illarum conceptionem*, & *nativitatem*; illa pertinent ad *Ecclesiam Patriarchalem*, hæc ad *Mosaicam*; unde non opus est, ut *peculiare testamentum patriarchale* fingamus, dum *Ecclesia Patriarchalis* pertinebat ad V. T. in *conceptione* constitutum.

*Theses*

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Th. I.

Maximi h. l. usus est distinctio, inter ipsam rem *Ministerii*, & *Pædagogiam ministerialem*, *fundamentam*,

tam, tum in ipsa fidei *ἐκβολῆς*, tum in verbis Pauli, affirmantis, quod quidam Eccl. Ministri sint Pædagogi, quidam vero Patres spirituales, etsi omnes veri Eccl. Ministri, qua rem ministerii, convenient. Per rem ministerii intelligitur, beneficium, atque ordinatio divina, quæ non dependet, a sola institutione divina, in essentialibus suis momentis observata, sed etiam hominum actionibus. Sunt autem essentialia Ministerii momenta:

α. Orthodoxia.

β. Vocatio legitima.

His positis, ponitur *gratia ministerialis*, se exerens, in functionibus ministerialibus, qua substantiam suam consideratis, nempe doctrina verbi divini, cum peccatorum ligatione, & solutione, atque Sacramentorum dispensatione. (quæ omnia non admittunt gradus,) Pædagogia autem ministerialis complectitur qualitates, & actiones, quæ in abstracto consideratæ, in viribus humanis positæ sunt, adeoque gradus admittunt, sed tamen cum re Ministerii, salva eadem, arctius unitæ sunt. Huc pertinet eruditio uberior, pietas, prudentia, industria, zelus, eloquentia, quatenus quadrant ad hanc rem.

2. Non dantur in Eccl. præter Pastores ordinarios, extraordinarii, qui suum jus, non ex vocatione legitima, sed ex mera capacitate, vel revelationibus extraordinariis derivent. Nam etsi data necessitate, Deus, *extraordinarie*, quosdam ad docendum mittat; hoc tamen tempore N. T.

non



non fit, *salvo ordinario, & vero Ministerio, sed quoties hoc cessat. Ut adeo ordinarie vocati, non extraordinarii, sed ordinarii Pastores sint, qui docent.*

3. Omnium optime res geritur, si *caput doctrinae, de Ministro impio, ex solo capite periculi, tractetur; (non ex capite requisiti essentialis,) quia impius, etsi orthodoxus Minister, in magno periculo versatur amittendi gratiam, per quam est orthodoxus, cum Deus ab ore ejusmodi hominis, ex quo verbum profunditur, possit, aut soleat auferre suam gratiam.*

*Theses*

DE ECCLESIA.

Th. I.

Cum *doctrina de Ecclesia visibili & invisibili, non semper satis clare accurateque proponatur, indeque confusiones nonnullae exortae sint, praestat sequentem docendi rationem adhibere: Ecclesia visibilis est cœtus Christianorum media salutis dispensans; Ecclesia autem invisibilis est multitudo hominum, fructus salutare vere possidentium. Ecclesia visibilis latiori sensu, totali, atque exclusivo, complectitur omnes cœtus, omniaque Systemata cœtuum ecclesiasticorum, in quibus media salutis adhuc extant; sed in sensu stricto, atque non omnem spem excludente; Ecclesia vera nihil aliud est, quam Systema illorum cœtuum, in quibus media salutis pure, integre, atque juxta Christi institu-*

stitutionem exhibentur, & h. e. Ecclesia Evangelica ministerio Lutheri restituta.

NB. Exclusivus sensus autem est ille, qui in canone: *Extra Ecclesiam non est salus*, omnem salutis spem excludit. Confer. D. Schertzeri Systema, p. 713.

2. Triplex est consideratio Ecclesie

- α. in iudicio veritatis divino atque occulto, quod ad omniscientiam pertinet, ubi iudicatur etiam de interiore indole singulorum Ecclesie membrorum, de fructibus salutaribus, & de fide iustifica.
  - β. Consideratio est iudicii veritatis humani, quod congruit cum iudicio divino revelato, quando iudicatur de presentia mediorum salutis purorum atque integrorum.
  - γ. Consideratio est iudicii humani, charitatis, atque spei, quando iudicatur, sperandum adhuc non nihil esse de salute unius atque alterius, quia media salutis & fundamentum fidei, aliqua ex parte, ipsi supersunt, ubi tamen metus, etiam spe ipsa major, non cessat.
3. Datur aliqua unio Christi, cum Ecclesia, tanquam corpore suo, quæ non confundi debet, cum unione mystica. Est enim unio capitis, sive partis principalis, cum partibus reliquis, tribuiturque speciatim Christo, qua officium regium & propheticum: est autem illa unio duplex, nam Christus tanquam caput unitur:



1. Externe etiam cum corpore mixto, Ecclesia nempe visibili, per media salutis, & Ministerium. Eph. IV.
2. Interius cum corpore puro, nempe Ecclesia invisibili.

Thefes

DE MORTE CORPORIS.

Th. I.

Nequaquam mutanda est *vetus Ecclesie doctrina*, quod mors corporis sit terminus gratie criticae, & peremptorius, isque proprie, accurate, & plenarie loquendo, unicus. Etsi enim induratio plenaria, suum habeat initium, idque adeo initium aliquo modo appellari possit terminus gratie; tamen, quando de gratia accurate loquendum est, respici potius debet, ad media gratie, & ejus oblationem. Et hoc quidem ex revelatione divina satis est notum, adeoque omnibus modis praefendum, incomperato incognitoque initio indurationis plenariae.

2. Non datur ἡ Νῦ Socinianorum, sive locus, in quo animae dormiant, omnisque & sensus & actionis, sint expertes; sed datur ἡ Νῦ biblicum, idque universale, animae, & corpori simul competens; quod tamen non est locus, sed status, isque generalis exterior, & relativus, in eo consistens, quod anima, corpusque hominis mortui, suo modo expectent statum conjunctionis; hoc ipso enim,

G s

neque

stitutionem exhibentur, & h. e. Ecclesia Evangelica ministerio Lutheri restituta.

NB. Exclusivus sensus autem est ille, qui in canone: *Extra Ecclesiam non est salus*, omnem salutis spem excludit. Confer. D. Schertzeri Systema, p. 713.

2. Triplex est consideratio Ecclesie

α. in iudicio veritatis divino atque occulto, quod ad omniscientiam pertinet, ubi iudicatur etiam de interiore indole singulorum Ecclesie membrorum, de fructibus salutaribus, & de fide iustifica.

β. Consideratio est iudicii veritatis humani, quod congruit cum iudicio divino revelato, quando iudicatur de presentia mediorum salutis purorum atque integrorum.

γ. Consideratio est iudicii humani, charitatis, atque spei, quando iudicatur, sperandum adhuc non nihil esse de salute unius atque alterius, quia media salutis & fundamentum fidei, aliqua ex parte, ipsi supersunt, ubi tamen metus, etiam spe ipsa major, non cessat.

3. Datur aliqua unio Christi, cum Ecclesia, tanquam corpore suo, quæ non confundi debet, cum unione mystica. Est enim unio capitæ, sive partis principalis, cum partibus reliquis, tribuiturque speciatim Christo, qua officium regium & propheticum: est autem illa unio duplex, nam Christus tanquam caput unitur:



neque status beatitudinis eterne, neque status damnationis; animabus, a corpore solutis, competens, negatur.

3. Titulus *beati*, bona cum conscientia tribui potest, illis, qui in *Systemate Ecclesiarum orthodoxe docentium*, extra statum peccati mortalis, nobis cognitum, è vivis discessere; hoc enim fit, non ex absoluto iudicio, quod solius DEI, sed ex iudicio *spei recte ordinato*, quod gradus admittit.

Ex adverso de illis, qui in *Systemate Ecclesiarum heterodoxarum*, vel in statu peccati mortalis nobis cognito, moriuntur, male dicitur, quod *beati* sint, quia peccarentur, contra iudicium *metus recte ordinati*.

*Theses*

DE CONSUMMATIONE SECVLI.

Th. I.

*Non datur duplex iudicium mundi universale: Imò Petersenius*, quando affirmat: aliud iudicium extremum, sub finem *sexti sigilli*, vel ante *beatos mille annos*; aliud vero finito *septimo sigillo*, vel post *felicem Chiliada futurum*, non solum extra scripturas, extraque omnem Ecclesiæ consensum loquitur; sed quantum in ipso est, efficit, ut omnis, de *extremo iudicio*, doctrina labefactetur, ac velut in fumos transeat, quia *prius iudicium*, juxta illum, non est *soleenne*, sed potius *longo tractu vario-*

*variorum eventuum historicorum* constat. Posteriori vero ita ab ipso describitur, ut quid sibi velit, etiam *perspicaces lectores* ignorent.

2. Graviter peccant, qui nostra ætate, ex præpostero sanctitatis & mysticæ σοφίας studio, negant, *corpus aliquod aliud, quam nunc gerimus* (quod crassum, terrenum, atque maledictioni obnoxium, nominant) *resurrecturum esse*, putantque doctrinam S. S. de *resurrectione corporum* explicandam esse, de *corpore invisibili*, quod *subtile*, & *luminosum* vocant; hoc enim pacto, *ipsa corporum resurrectio*, paulatim enervatur, vel ad *mera phantasmata* reducitur.

3. Etsi quæstio, de *substantiali destructione mundi*, ex christiana charitate, aliquando tanquam *problematica* tractari potuerit; tamen, in præsentium rerum statu, haud quaquam consultum id foret, postquam multi sic negant, *substantialem mundi destructionem*, ut illam, propter immutabilem omnium rerum essentiam interiorem, impossibilem esse, pronuncient; qui *error valde est perniciosus*, atque adeo ad *Deismum* manuducit.

S. D. G.

MAN-



MANTISSA  
PRIMA  
LOESCHERIANA,  
DE  
PAPISMO.

**P***apismus* exortus est, Seculo VII. post Christum natum, tempore *Bonifacii III.* Papæ, (anno DCVL.) & sequentibus seculis. Sensim crevit etiam seculo XI. & XII. quibus seculis *doctrina de Purgatorio,*

sub finem seculi X. *doctrina de Transsubstantiatione,*

seculo XII. *doctrina de Cultu Imaginum,*

seculo vero IIX. & X. *doctrina de Missa* exorta est.

Sub Gregorio VII. (Hildebrando,) seculo XI. (anno MLXXIII.) ad summum culmen peruenit Papismus.

*Historiam Papismi* scripserunt Phil. Moræus, Basilius Hypereta, (in der Beschreibung der geistlichen Monarchie des Stuhls zu Rom. Hamburg 1679.) Pufendorfus & Heideggerus.

PRAEIVDICIA ET MOTIVA PAPISMI sunt:

a) *Dari Caput visibile Ecclesie, & Vicarium Christi* (eminentissimum, sanctissimumque,) qui errare non possit.

b) Ho-

- b) Hominem naturaliter adhuc *vires* possidere, quibus bona spiritualia operari & cælum mereri possit.
- c) *Cerimonias Ecclesiasticas* a Papa institutas, salutem æternam mereri, per *opus operatum*, sive quocunque animo exerceantur.
- d) *Elegantia & externa Majestas ceremoniarum Papisticarum*, ut & *apparens devotio*.

CAUSAE PALLIATIVAE PAPISMI sunt:

1. *Autoritas Ecclesie.*
  2. *Traditio*, sive quod ea, quæ Papistæ citra & contra *Scripturam sacram* docent, ab Apostolis sint oraliter tradita.
  3. *Consensus Patrum Primitivæ Ecclesie.*
- Et 4) *Continuatio* (seu *successio*) *sedium Episcopali-um*, ab Apostolis, usque ad hæc tempora.

Ast vero

*Præjudicia Papistarum* sequenti pacto tolluntur.

- a) Nullum Ecclesie Caput, præter Christum dari, ex Matth. XXIII, 8. (*unus est vester Magister, omnes autem vos fratres estis,*) clarissime patet. Nullum quoque hominem (merum vel nudum) infallibilem esse posse docet Spiritus S. Psalm. CXVI, 11. *omnis homo mendax.*
- b) Homo ita peccato corruptus est, ut ad spiritualia prorsus ineptus sit. 2. Cor. III, 5. Verba ante-



antecedentia agunt de spe salutis nostræ in solo Christo ponenda. Verba sunt: *Non idonei sumus a nobis ipsis cogitare, quod (nempe spirituale, & ad salutem pertinens, de quo in toto capite agitur,) tanquam ex nobis.* Verba sequentia agunt de gratia Dei, omnia bona spiritualia in nobis operante.

- c) Ipse Christus responder Luc. XVII, 10. *Cum feceritis omnia, que mandata sunt vobis, dicite: utique inutiles &c.*
- d) Contra Cerimonias Papisticas notentur verba Spiritus S. Dent. XII, 8. ubi de Cerimoniis cultus divini agitur. *Non facietis omne, quod rectum in oculis vestris est.* Devotio Papistarum plerumque hypocritica est.

Vide Cl. Conringii Conclavia, sive Electiones ultimorum Paparum; & Jurieu Præjudicia contra Papismum.

Ad *Causas* vero *palliativas* sic respondetur:

- 1) *Auctoritas Ecclesiæ* nulla est, nisi *EX SCRIPTURA SACRA, & CVM SCRIPTURA SACRA, (Esa. VIII, 20.) legem & Testimonium* quærent. *Quodsi non dixerint juxta verba (divinitus tradita; ) verbum hoc (profecto) illis non erit aurora (d. i. Gott wird ihnen nicht gnädig seyn.)*
- 2) Omnes eas doctrinas, quas Papistæ, per *Traditionem* probant, seculo demum VII. partim  
ortas

ortas esse, probavit *Morneus*. (in *Mysterio Papatus*.)

- 3) *Patres Primitivæ Ecclesiæ*, h. e. qui ante seculum VII. scripserunt, potius contradicunt *Papistis*, ut ostendit *Gerhardus* in *Theologia Patrum* & *Wagnerus* in *Theologia Patrum*. (ut *Bebelium*, *Scheiblerum* & *Helmstadienses* taceamus.)
- 4) *Continuatio* (seu *successio*) ista, ex falso, verum facere non potest, cum etiam in *Cathedra Moïsis*, *Pharisæi Hæretici*, per continuam seriem, locum occupaverint.

Tandem

Ut *Papistæ* prorsus ad incitas redigantur, notentur *sequentes rationes*, *Papismum* oppugnant:

- a) *Papismus* ex meris fraudibus politicis ortus, & per illas conservatus est.
- b) *Papistæ* absurdissimas sententias foveant. v. g. bona opera vendi posse. Dari opera supererogationis, sive superflua. Gratiam Dei vendi, & per pecuniam acquiri posse. vid. *Päbstl. Diezen-Korb*.
- c) *Papistæ*, omnes reliquos *Christianos*, ferro & igne persequuntur, & sanguinem ipsorum sitiunt.
- d) In *Caput Pontificiæ Ecclesiæ* quadrant omnes *Characteres Anti-Christi*.

e) Quia



e) Quia *Catenam fidei* supra descriptam dissolvunt, varios ejus articulos negantes. Conf. Relat. Innocentes ad annum 1747. p. 1012. seq.

Paucis:

TOTVS PAPATVS, QVI ECCLESIAM, SICVT VERMIS POMVM, INFESTAT, ENTIBVS CONSTAT FICTIS ET PICTIS. Vid. D. Joan. Henr. Heideggerus in *Mysterio Babylon*. Magnæ pr. II. p. 29.

S. D. G.

---

MANTISSA  
SECUNDA  
B. LOESCHERI,  
DE  
GENEALOGIA ERRORVM  
PAPISTARVM.

**O**mnes errores Papistarum versantur circa officia Christi.

Et eo ipso declarant, *suam Ecclesiam esse ANTI-CHRISTIANAM*, id quod clarum fiet ac patebit ex sequenti *errorum genesis*:

I. Papistæ, contra *officium Christi Propheticum*, *vocem Christi*, ejusque Spiritum, in & per  
Script.

Script. S. judicantem non audiunt, sed ejus loco *voçem Potentum* in Ecclesia, vel potius *voçem Papæ.*

*Errores inde sequentes:*

1. *Scriptura sacra*, non est unica credendi norma.
2. *Scriptura sacra* non est *Judex Controversiarum.*

Quem errorem fulciunt sequentes:

*Scriptura* non est plene inspirata a Deo.

Scriptores biblici in actu scribendi fallere poterunt.

*Scriptura sacra* plures sensus habet.

*Scriptura sacra* est obscura.

- - - - est incerta.

- - - - est insufficientis.

Fontes biblici non manserunt puri.

*Vulgata Versio* præferenda est fontibus.

Aliqui libri Canonici perierunt.

Omnes libri in corpore biblico sunt canonici.

*Scriptura sacra* se ipsam explicare nequit.

Lectio *Scripturæ S.* Laicis est prohibenda.

*Scriptura S.* in vernaculam non est transferenda.

Mysterium S. S. Trinitatis ex *scriptura s.* probari nequit.

Pædobaptismus non liquet ex *scriptura sacra.*

Virginitas Mariæ perpetua non potest ex *script. s.* probari.

*Scriptura s.* suam autoritatem habet ab Ecclesia.



3. *Traditiones* sunt principium & norma fidei. Huc pertinet ille error: *In Vet. Test. extiterunt Traditiones divine.*
4. *Patrum Consensus* est norma fidei.
5. *Ecclesia* est *Judex Controversiarum*. Huc pertinent sequentes errores:
  - a. *Ecclesia* est infallibilis, & deficere nullo modo potest.
  - b. *Decreta Conciliorum* sunt infallibilia.
  - c. *Ecclesia invisibilis* nulla est.
  - d. *Clerici* ab omni potestate *Magistratus* exempti sunt.
  - e. *Magistratus* nullam, circa sacra, habet potestatem.
6. *Papa* est *Judex Controversiarum*.
7. *Papa* est *cecumenicus Episcopus*, *Vicarius Christi*, & jure divino *Primatum ac jurisdictionem absolutam* habet.

Hinc sequentes errores:

- α) *Petrus* fuit *Vicarius Christi*, post mortem ejus, & *Caput Ecclesiae visibile*.
- β) *Papa* est *successor Petri* in *Vicariatu Christi*.
- γ) *Summus Sacerdos V. T.* absolutus fuit *fidei Judex*. Hinc promanant errores sequentes:
  - α) *Papa* totam *Ecclesiam* repræsentat.
  - β) *Papa* *articulos fidei* condere potest.
  - γ) *Papa* *sacramenta* instituere & mutare potest.
  - δ) *Papa* est *infallibilis*.
  - ε) *Papa* etiam in *temporalibus* *supremam potestatem* habet.

II. Papistæ contra officium Christi sacerdotale sentiunt, & merito, & satisfactioni Christi derogantes, & humana merita surrogantes. Hinc fluunt sequentes palmarii errores, & primi *Ψευδεος* fulera.

⌘ *Opera hominum habent meritum*, quo justificantur & salvantur. Hunc fulciunt sequentes errores:

- a) Dantur opera supererogationis.
- b) Homo de Justificatione & salute sua certus esse non potest.

⌘ *Homines satisfacere possunt Justitiæ divinæ.* Huc pertinent sequentes errores:

a) Pœnitentia est satisfactio, vel tamen satisfactio est pars pœnitentiæ. Hinc fluunt sequentes errores:

a) Tota pœnitentia absolvitur contritione, confessione & satisfactione.

b) Attritio sufficit ad pœnitentiam.

β) Datur Purgatorium, in quo Deo satis fit, pro peccatis & pœnis, cujus erroris appendices sunt:

1) Datur Limbus Patrum & Infantum.

2) Animæ ex Purgatorio liberari possunt nostris suffragiis, castigationibus & piis operibus.

⌘ *Homines Deo cooperantur* in negotio Conversionis, Regenerationis, Justificationis. Huc pertinent sequentes errores:

a) Homo se præparat ad Justificationem.

b) Homo habet liberum arbitrium Theologicum.



Hinc fluunt sequentes errores :

- 1) Homo in puris naturalibus creatus est.
- 2) Imago divina fuit donum supernaturale.
- 3) Peccatum originis est levis macula.
- 4) Maria & alii quidam sancti peccato originis non fuerunt infecti.
- 5) Infideles possunt bona opera præstare.
- 6) Concupiscentia non est peccatum.
- 7) Quicquid non est voluntarium, non est peccatum.
- 8) Peccata quædam per se venialia sunt.
- 9) Baptismus sic tollit peccatum originis, ut nullo modo superfit.
- 7 *Angeli* sunt Mediatores intercessionis apud Deum.
- 7 *Justificatio* nostra non fit per imputationem & satisfactionem Christi. Huc pertinent sequentes errores :
  - a) *Justificatio* non est actio forensis.
  - b) *Justificamur* gratia infusa.
  - c) Non *justificamur* sola fide.
  - d) *Fiducia* non est pars fidei.
  - e) *Fides* est solum assensus.
- 7 *Decretum Electionis* dependet a bonis operibus hominum.
- 7 *Officium Christi mediatorium* aliter est concipiendum, quam Evangelico - Lutherani sibi concipere solent. Huc pertinent sequentes errores :

1) Chri-

- 1) Christus sibi ipſi cœlum meruit.
- 2) Christus eſt novus legiſlator. Unde fluit: Evangelium eſſe novam legem.
- ¶ *Æterna ſalus* obtineri poteſt per indulgentias.
- ¶ *Novum & quotidianum ſacrificium Miſſæ*, Chriſti ſacrificio unico ſurrogatur.
- III. Papiſtæ contra *officium Chriſti Regium*, & regnum gratiæ peccant, partim in *mediis ſalutis*, partim in *cultu*, partim in *vita*.

Circa Media ſalutis ſequentibus modis:

- a. Septem ſacramenta conſtituunt ſigillatim, nam *Confirmationi*, *Penitentia*, *Conjugio*, *Ordinationi Miniſtrorum*, & *Unctioni extrema* vim ſacramentalem tribuunt.
- b. *Sacramentorum naturam* male explicant, docendo:
  - 1) Quod ſacramenta profint ex opere operato.
  - 2) Quod intentio ſacerdotalis neceſſaria ſit ad ſacramentum.
  - 3) Quod Characterem indelebilem utentibus imprimant.
- c. *Baptiſmum* multis modis vitiant, nempe
  - a) Negant, illum perpetuo valere.
  - b) Negant, infantes in baptiſmo fidem accipere.
  - c) Multas ſuperſtitioſas ceremonias baptiſmo addunt.
  - d) Campanas baptizant,

d. Sa-



- d. *Sacram Cœnam* vitiant, dum
- 1) Calicem a Christo institutum communicantibus auferunt.
  - 2) Vinum, a sacerdote bibendum, aqua necessario miscendum docent.
  - 3) Panem in corpus Christi transsubstantiari statuunt.
  - 4) Sacrificium pro vivis & mortuis, e Cœna faciunt.
- e. *Ministrorum V. D. ordinationem* ad Episcopos restringunt. Unde fuit error:  
Episcopos & Presbyteros in Ministerio essentialiter differre.
- f) Vim spiritualem & efficaciam tribuunt, aquæ consecratæ, (lustrali,) chrismati &c.

Circa *Cultum* multoties peccant.

- 1) *Sacrificium Missæ*, contra Christi mentem introductum, pro sanctissima, & summa cultus parte habent. Unde fuit error & praxis: *Panem consecratum esse adorandum.*
  - 2) Adorationes & invocationes idololatricas introducunt. Nam præter *adorationem panis consecrati*, invocant Angelos, invocant sanctos. Huc pertinent errores sequentes:
    - a) Sanctos demortuos scire, quæ hic gerantur.
    - b) Sanctos mundum regere.
    - 3) Colunt imagines ac reliquias.
    - 4) Cultus a Pontifice institutos habent pro vere bonis operibus, speciatim, *vitam monasticam*
- Deo

Deo mire placere, ac meritoriam esse sentiunt,  
& *tria Consilia Evangelica* fingunt.

- 5) Carnis privium habent pro cultu Deo placente.
- 6) Cultum publicum, lingua latina præstandum esse, & sine illa profanari putant.
- 7) Peregrinationes religiosas & processiones, pro cultu habent.
- 8) Enumerationem peccatorum in Confessione necessariam habent.
- (9) Rosaria Deo grata esse, existimant.)

Circa *Vitam & Pietatem* sequentibus erroribus Regnum Christi lædunt.

- a) Neminem fidem suam examinare debere, sed cæca fide credendum esse.
- b) *Fidem cum peccatis mortalibus consistere posse.*
- c) Mandata Christi & Apostolorum pleraque esse *Consilia perfectionis.*
- d) *Matrimonium* (illud pontificium NB. sacramentum,) esse rem immundam. Hinc Clericis matrimonium vitandum esse statuunt.
- e) *Religionem vi & armis propagandam & conservandam esse,* sentiunt, hinc statuunt:
  - 1) Hæreticos esse occidendos. Imo
  - 2) Hæreticis fidem non servandam esse.
- f) *Ecclesiam Romanam* de Jure divino esse absolutam omnium rerum dominam.

Unde



Unde fluunt sequentes errores:

- 1) Illi omnia licere.
- 2) Reliquarum Ecclesiarum liberos esse spurios.
- 3) Absolutam illi obedientiam in cunctis esse præstandam.

Et 4) eum, qui *Ecclesie Romanae* ulla in re, sese opponat, Hæreticum esse damnandum.

Hanc Genealogiam errorum, qui teutonice vel germanice expressam legere velit, istum ablegamus ad *Appendicem* Tomi I. *der Ebscherischen Reformationen*. Cui addere possumus D. Joachimi Langii *Causam Dei*. Tom. III. p. 986. seq. & D. Jo. Jac. Rambachii *Collegium Introductorium*. Pr. II. per integrum. Ut Georgii Dounamei *Papam Anti-Christum* p. 108. seq. taceamus.

L. B. legat pag. 95. linea ultima *Schwarzenawil* loco *Schwarzimann*.



Z

rios.  
e præ-

e, sese

ice vel  
ablega-  
en Res  
D. Jo-  
6. seq.  
ducto  
Dou-  
eq.

enawil



ULB Halle

004 180 402

3









V. VALENTINI ERNESTI  
LOESCHERI

ARCHI-THEOLOGI EVANGELICI

# THEOLOGIA PRETIOSA

VARIIS CVM ILLVSTRAMENTIS  
DEO EX MSC. IN LVCEM  
EDITA

VT NON TANTVM STVDIIS  
PRIVATIS VERVM ET PRAELE-  
CTIONIBVS AC DISPVATIONIBVS  
INSERVIRET ACADEMICIS.

*OPVSCVLVM RARISSIMVM.*

HAMBVRGI ET LVBECAE  
MDCCL.

*AA 189*